

DIONYSII FABRICII  
PRÆPOSITI PONTIFICII FELINENSIS  
LIVONICÆ  
HISTORIÆ

COMPENDIOSA SERIES

IN QUATUOR DIGESTA PARTES AB AN-  
NO MILLESIMO CENTESIMO QUIN-  
QUAGESIMO OCTAVO USQUE AD  
ANNUM MDCX.

CURANTE

GUSTAVO BERGMANN P. R.

---

---


EDITIO SECUNDA AUCTIONIOR ET EMEN-  
DATIONIOR.

---

STANNO RUIENSI c1910ccxcv.

BIBLIOTHECA  
ACADEMICA  
DORPATENSIS

PRÆFATIO  
EDITIONIS PRIMÆ.

ON ita multo relatam mihi est, Virum æstimatissimum & livonicarum rerum Cultorem cupidissimum, *Johannem Jacobum Vosf*, Rigæ in bibliotheca sua asservare Codicem veterem chartaceum DIONYSII FABRI, Historici livonici. Nihil prius aut antiquius exegi, quam ut potestas mihi Codicis hujus fieret. Post aliquanto liber ad me missus est, qui oculis meis usque ad hanc diem sese subduxerat. Suscepi protinus exempla perpauca, Amicis interveniendi causa, formis typographicis exprimere.

Vir ingenio & doctrina præstantissimus *M. Johannes Christophorus Brotze*, Professor Lycei, quod Rigæ floret, meritis cumulatissimus, qui potioris Patriæ Historiam semper amavit, annuit precibus meis, & dedit mihi facultatem, aliud *απογραφον*, sua manu & de industria descriptum, inspiciendi. Ambos codices diligenter

( IV )

evolvi atque expendi, & exempla XL typis expressa absolvi, ad veterem prope intermortuam Fabri renovandam memoriam, quem dignum existimo, ut ab omni in livonicas res toto pectore incumbenti, viseretur: licet male audiat apud Cl. Gadebuschium in eo suo libro, qui de Historicis livonicis conscriptus est.

Quam dolendum est! librum Dion. Fabri haud perfectum ad manus nostras pervenisse, quem supplere mihi non liquit. Auctor noster floruit temporibus Plettenbergii. Romæ aliquando versatus est in legationibus, & dicendo valuit.

Antequam vero libellum in apricum profero, hoc loco libet interponere, etsi sejunctum a re proposita est, quod mihi æstate superiori accidit. Allata quippe mihi sunt ossa humana, (radius videlicet & vlna,) quæ cum aliis in diruto culmine Templi *palæowendensis* ab ædificantibus reperta erant. Prioris Livoniæ Magistri tempore, hanc ædem constitutam esse, satis constat. Prospiciuntur ex adverso lacus, discussa mœnia arcis, quæ olim *Wenda* sive *Palæowenda* nominabatur,

nunc verò *Arrasch* vocatur. Hoc castellum *Vinno* statuit, & in eo bonus vir cum sacerdote primo palæowendensi *Johanne* a Dispensatore & Ordinis fratre *Wigberto*, nil aliud quam cædem & sanguinem cogitanti, jugulatus est. Arcem in qua occisus est *Vinno*, derelinquere placuit. *Wigbertus* erat homo luxuria perditus, seditiosus, religionem minuens, turpissimis cupiditatibus indulgens, imperio Imperatoris non parens, & ut opinor mente lapsus. A Furiis immisus ille veterator, simulata amicitia Magistrum in triclinium palæowendense devocat: ut limen intrarent, confestim manum ad capulum gladii defert, vagina nudat, (Armigeri enim semper ferro succincti incedebant,) & ambos, priusquam quisquam posset succurrere interfecit. \*

\* Si quæris quidnam commeruerit atque commiserit Ordinis Parens & Johannes, quod in illos ita acerbè sevitum sit; intelligas necesse est, *Wigbertum* pecunias & res Magistri male tractasse, & ab eo repudiatum fuisse. Quæ contumelia eum non fregit, sed ad vindictam rapuit. Quod vero *Johannem* necuerit, factum esse credo, ne testis trucidationis superstes adesset.

( VI )

Is qui pestilens hoc facinus commisit, pœna qua dignus erat ut *Fabri* tradidit p. 29. sive 25. multatus est. Auctor *Livoniæ Annalium* p. 61. scriptum reliquit: *fugientem a domo* (h. e. ex arce) *in Capellam persequuntur fratres, & comprehensum, per civile iudicium, sicut meruerat, crudeli morte interemerunt.* Est enim supplicium civile nullum aliud, nisi privatum quale in cives Ordinis exercebatur, & opponitur in Annalibus iudicio publico. *Wigberti* sepultura itaque non fuit volucrum potestas uti *Ruffovius* tradidit & multi alii, sed ille abdite, supplicio civili, quale in *Monachos* reos statuere assolebant, mori coactus est.

Quis vetat nos credere, *Wigbertum* in radicibus culminis, sive in interiore parte vestibuli, circumseptum fuisse, & se subiecisse oculis diræentium. Ordinis Fratres hoc supplicium singulare & satis acre in fratrem Procuratorem, sive res Magistri tractantem, qui lethale ferrum strinxerat, & in Magistri viscera adegerat, constituerunt, eumque interdicto aëre, ex rerum natura sustulerunt & eripuerunt.

( VII )

Murum disturbantes rustici repererunt corpus humanum, nixis genibus, deprecantium more, facie in aram conversa: Ita enim rem omnem comperi a V. Cl. Cornelio, ibi rem divinam facienti. Vestigia linteii indusii, aut si mavis intimæ vestis cilicinæ, perspicue in mortario expressa conspiciebantur. In illo specu, arcus cavus oculis sese obtulit, ut juxta superstitionem illius seculi, sic enim mihi verisimile, anima corpore soluta, ruptisque vinculis, fugam ex hoc carcere in orcum meditari posset.

Sub id tempus quo ibi sacra curavi, sæpenu-mero tres pilas lapideas, in summis tabulatis, supra testudinem ligneam propter vestibulum ubi valvæ conspiciuntur, animadverti. Quoties in illas oculos converti, dubitavi an olim fundamenti loco appositæ fuerint pro textura trabium & tignorum, ut forsan aliquando turrin inædificare possent posteri. Quum vero æstate superiori Pa-rocii turrin diu desideratam adstruere constituis- sent, & pilas has eminentes demoliri jussissent, Wigbertus in media pilarum inventus est opertus.

( VIII )

Talem quoque non immerens habuit exitum vitæ, vir equestris dignitatis, huic simillimus & pari leto affectus, cujus nomen non conuenit, de quo in libro meo de rebus gestis in Livonia, mentionem fecimus, in eo volumine ubi nomina Nostratium qui fere vsque ad hanc ætatem de Ecclesia Patriæ meruerunt, enumerauimus. In conditorio *mekkiano* in Æde D. Jacobi Rigæ an. 1774. quum illum tumulum vetustate atque incuria prolapsum, operarii reuellerent, corpus humanum muro septum offensum est. Hujus quidem venefici & parricidæ, aut valde me conjectura fallit, aut hic ipse talis est, clam fecerunt Monachi potestatem, & stantem obruerunt, sub illud scilicet tempus belli civilis, quum Ordo & Archiepiscopus] essent in simultate, eumque tamquam civem perniciosum acrioribus suppliciis coercuerunt. Peccans ibi ad mortem raptus nemo vt opinor fuit alius, nisi vnus ex his qui Archiepiscopum *Sylvestrum* ab Ordine diu vexatum & oppressum, horror quidam & metus cogitantibus objicitur, veneno aggressi sunt. Ita

( IX )

hoc *Cassio* & *Bruto* non, fuit lenitati locus, severitatem res ipsa flagitabat.

Prima in edenda *Fabri* Historia cura fuit, vt quibusdam locis, vbi mihi manifeste liber corruptus videbatur, medelam afferrem: e. g. P. 6 l. 24 pro *bonosæ anates* emendationem *canosæ anates* in textum recepi. At Codex *Tideb.* verbum insolens & inenodabile confirmat P. 4. l. 25 Edit. novæ. P. 9 l. 26 pro *magis istis artibus* substitui *magicis artibus*. Codex laudatus habet, *magicis istis artibus*. V. p. 7 l. 26. P. 10 l. 24 pro *pluvias fundere in imbres* recepi *in miseros* in contextum. In Cod. T. occurrit, vt *pluvias fundat & imbres*. p. 8 l. 24 seq. P. 11 l. 19 pro *imbrum Dominorum jugum*, in textu posui *miserum*. Codex T legit *impium Dominorum jugum* V p. 9 l. 17. P. 16 l. vltima, pro *ostruos* recepi *catervas*. In Codice T. reperi *acervos* V. p. 13 l. vlt. P. 46 l. 2 pro *regia majestate dictum*, elegi *regia majestate dignum*. Recte suspicati sumus p. 40 l. 7. P. 54 sub *Andr. Westphalo* delevi *Archiepiscopum Jo. v. Lunen*, & ad tempora *Otho-*

( X )

nis von Rodenstein transposui. Codicis novi auctoritate, lectionem revocavimus, p. 47. Ego mihi cavebam a mutatione textus. Interdum vocem delevi, interdum necessitate coactus aliquid inferui literis vulgo dictis *cur suis*. P 22. sive 19. legitur vulnere nactus, etsi grammaticis præceptis inconsistentaneum, morbum subintelligere malui. Si quid forte alicubi a nobis peccatum fuerit, quod facile accidere potuit ei, quem distringunt multarum rerum negotia, id vt imbecillitati humanæ condonetur, vehementer rogamus. Si aliquando juvantibus Amicis, obsecundantibus Fautoribus, ad collationem exempli nostri, alium codicem imperabimus, corruptelas emendare, operam dabimus. Scribebam Ruinæ XVI Kalendarum. Decembr. MDCCXCI.

GUSTAVUS BERGMANN.

# PRÆFATIO

## EDITIONIS SECUNDÆ G. B.

**N**UPER in editione, titulo quem Librarius Codicis Vossiani adscripserat, decipi nos passi sumus, Dionysium Fabri J. D. Auctorem hujus Livoniæ Historiæ citandi, sed vitiose; cum sit Dionysius Fabricius, Præpositus pontificius Felinensis verus ac indubius Auctor. Errorem meum, in quem, Codice Jo. Jac. Vossii, nunc rebus humanis exempti, inductus eram, jure corrigere jam convenit, cum scriptum aliud exemplum arcessendi facultas nobis data fuerit.

Vir literarum amantissimus, Henr. Guilielmus Joachimus Rikkers Revaliæ, cum ante annos quosdam, plures horas mecum consumfisset variis sermonibus, spem novi Codicis potiundi mihi fecit. Non ita multo post, Vir Cl. nec non doctissimus, Jo. Christianus Tideböhll, Director & Professor primarius Revaliæ, ex Bibliotheca sua mihi petenti concessit atque sub-

( XII )

ministravit, Codicem exoptatum, pleniorē & accuratiorē, quam exemplum jamjam a me in lucem, annis abhinc quatuor, proditum & recognitum.

Descripsi Codicem hunc religiosissime, quem Vir admirandæ doctrinæ, amicus meus dilectissimus, M. Jo. Christophorus Brotze Professor Lycei Rigenſis eruditissimus, vel legendum vel inspiciendum vel emendandum suscepit, ingenio felici, oculis acutis, quia oculorum meorum aciem, inter legendum, varia effugerant, quæ mihi primum legenti non occurrerant.

Non ab re fecisse arbitramur, cum hanc Historiam formis typographicis, auctam, & emendatiorē ac antea, quanta maxima cura ac diligentia potuimus, exprimendam & repetendam curavimus, speramusque eam Lectoribus neque inutilem neque injucundam fore. Scr. in Parochia Ruienſi XII Kal. Novembr. MDCCXCV,

## DIVISIO OPERIS.

**P**ARS PRIMA continebit Descriptionem Livoniæ & vnde hoc nomen sortita, ejusque incolarum mores & ritus, quibus vsi antiquitus, præterea quomodo primo a nautis civitatis Westphaliæ Bremenſibus reperta; quomodo demum Livones a Germanis subjugati & ad Christianismum converſi a temporibus Meinardi primi in Livonia Episcopi, qui annum circiter 1162 pro conversione hujus gentis missus in Livoniam: Et quo tempore Enſiferorum Ordo ad propugnandam & propagandam catholicam religionem ab Episcopis Livoniæ accitus, vsque ad annum 1238, quo Enſiferorum Ordo in Ordinem Teutonicorum fratrum, immutatus fuit.

( XIV )

ALTERA PARS Historiam referet eorum, quæ sub regimine Magistrorum Livoniæ Ordinis Teutonici (alias Crucigeri dicti) qui a Volquino primo hujus regulæ Magistro, vsque ad vltimum Gothardum Ketler in vniversum fuerunt XLVI, acciderunt.

PARS TERTIA vero continebit narrationem, quomodo Livonia, cessante Magistrorum & Episcoporum Dominio, ad Regnum Poloniæ devoluta, & a Rege Sigismundo Augusto in tutelam suscepta: præterea recensabit quæ inter Regem Sigismundum Augustum & Magnum Ducem Moschoviæ Joannem Basiliæ filium in Livonia facta sunt, vsque ad annum 1582, quo Rex Stephanus Batoræus Livoniam recuperavit.

QUARTA PARS, ea quæ a recuperata Livonia, tam sub Stephano Rege, quam sub Sigismundo tertio Polonorum Svecorumque

( XV )

Rege moderno, memoratu digna acciderunt in  
Livonia, recensabit vsque ad annum 1610.  
(1612.)

(XVI)

AUTHOR LECTORI.

Pastor ab Amphryso procul hinc, Driadesque puellæ;  
Pegafidum Nymphæ, atque obsceni carmina amoris.  
Arma cruenta cano, truculentaque prælia Martis:  
Bellonæ furias: & atrocis spicula Lethi:  
Quos perimens gladio, rapuit Proserpina secum,  
Præcipitesque trahit; turmatim mittit ad orbem.

Livoniæ clades refero, pariterque triumphos,  
Et belli eventus dubios, miserabile dictu;  
Livoniæ tellus, quam multo sanguine parta es?  
Madet humus scatetque cruor, jamque arva rubescunt.  
Prælia quæ suffers, vix Maro recenseat alter.  
Versibus aut doctus rite conscribat Homerus.

Theuto prius subigit: sed fida Polonia tutrix,  
Eripit a Moscho, spurcos fugat inde Suecos.  
Carolus en Sudeman bello te infestat iniquo.  
Hostem compefcit tumidum, sed Carolus alter  
Chodkewicz Comes, & Lithavæ fortissimus Heros,  
Hic merito finem belli facit atque libelli.

ILLUSTRISSIMO

ILLUSTRISSIMO  
FORTISSIMOQUE HEROI,  
DOMINO DOMINO  
JOAN. CAROLO CHODKE-  
VICIO,

COMITI DE SELOW ET MYSSA IN BI-  
CHOW, CAPITANEO GENERALI SAMO-  
GITIÆ, CAPITANEO DERPATENSI.

&c. &c.

M. D. LITH. SUPREMO EXERCITUUM  
DUCI, GENERALI PER LIVONIAM  
COMMISSARIO,

DOMINO AC MÆCENATI SUMME  
COLENDO,

DIONYSIUS FABRICIUS

Е П Р А Т Т Е И Н

**C**UI potissimum hos meos in conscri-  
benda Livoniæ Historia sudores, DUX  
ILLUSTRISSIME, quos sane non ob aucupandæ  
vel gratiæ vel gloriæ cupiditatem: sed ob vni-  
cum duntaxat in patriam amorem impendere  
non sum gravatus: inter tot tanqve præclaros

( XVIII )

hujus amplissimi Regni nostri Toparchas ascriberem. Tu mihi primus omniumque dignissimus occurris: Quippe quem de Livonia adeo bene meritum existimem: ut a temporibus, quibus principio, hæc provincia reperta, & ad Christi fidem conversa, digniorem (si quis saltem hujus historię seriem accuratius perlegat) neminem reperiat, cui plura præstantioraqve in Livonia præstita facinora, absqve adulationis nota ascribi & annumerari queant. Quamvis haud pauci reperiantur, qui initio hujus provinciæ fundatores extiterē, multoqve labore & sanguine, feram illam atqve indomitam barbariem, ad Christi Soteris cognitionem perducere conati sunt: Non tamen tam crebris celebribusqve victoriis, uti Tu Dux INCLYTE, illustres habiti, qui quoties quoties cum Sudermano Duce, Livoniæ vero Regniqve nostri infensissimo hoste, configis: toties inquam toties devictis hostibus triumphas. Atqve ut cætera præteream, quæ apud posteros de Te nomen & famam merentur immortalem, quorum non parvus si quis singula retexere laboraret, extaret elenchus. Quatuor illi conflictus, cum Sudermaniæ Principis exercitu habiti sat acres, totidemqve reportatæ victoriæ, Tuam testantur imprimis fortitudinem, nostrisqve quas referimus hoc loco rebus, astruunt fidem. Ut puta sub Kokenhausio, Albo Lapide, Kircholmio, & Dunamunda, in quibus omnibus

( XIX )

adeo parva militum manu, ingentes hostium copias & acies, non sine immortalis gloriæ fama, nominisque Tui perenni memoria feliciter prefreris, viceris, profligaris, vnde profecto non patriæ duntaxat cives & regni nostri proceres, multam vti par est haurire visi sunt consolationem: Verum Rex ipse hanc Tuam non potuit, non approbare Magnanimitatem: quod vel hoc ipso testatum esse voluit, cum inter plurimos Lithuanix Heroas fortissimos, neminem, præter Te, aut digniorem aut feliciorem existimaret, cui clavam militarem, simul & regimen Ducis adversus tam callidum hostem patriæ committeret: verum etiam exteri reges & principes, Tuam in configendo dexteritatem, in dimicando fortitudinem: in vincendo felicitatem sæpius admirati. Quod vel inde constat liquido, cum Rex Angliæ simul & Scotiæ, audita hac Tua tam celebri nominis fama, literis suis Te inviserit: de Tua in superandis hostibus & reportandis victoriis felicitate, Tibi vti Duci fortissimo atque vigilantissimo gratulatur, suamque erga Te humanitatem ac benevolentiam quam officiosissime commendat. Cum tamen hæ nationes, innato quodam odio atque æmulatione Polonæ genti adversantur. Facilis ergo prudenti conjectura conceditur, prædictum Regem non blandiendi causa: ( siquidem reges nemini libenter ablandiri sciunt, quin potius regibus omnes

blandiuntur) sed solo veritatis stimulo impulsam, quæ Tibi vti Duci peregrino a Superis immortalibus, imo a natura matre sunt impertita, attribueret.

Tantam igitur cum apud exteras nationes, quibus nullum inde accidit emolumentum, laudem merearis ac existimationem quanti majorem apud tuos, si saltem livor & invidia abessent, hoc Tuo in patriam labore ac studio promereri, quilibet agnoscit. Nil mirum iccirco si Tibi fortissimo felicissimoque Duci per quem res ipsæ cum Carolo Sudermaniæ Principe ultra septennium gestæ, etiam earundem seriem & narrationem ascriberem: ut hac ratione merito idem ipse, qui Livoniæ domitor extitit, etiam tutor & censor sit operis. Quam quidem narrationis compendiosam seriem ideo posteritati transmittendam duco, ut imprimis Tui tam egregii Ducis virtus, militumque tuorum imperterriti animi robor & fortitudo, non facile oblitteretur. Præterea ut hujus provinciæ miserabiles casus, & belli dubios eventus posterius legant, & admirentur. Idque non eum in finem ut existinem, non reperiri plures, qui historiam hanc ab annis quadringentis & ultra fuscè politeque magis conscribere aut velint aut possint. Vti etiam scripsere sed lingua germanica. Verum quia hi vel ob hæresin suspecti vel ob philauthiam in suos nimis affectati, ascribunt iis, quibus blandiuntur subinde plura

( XXI )

quam par est: nonnullis vero quibus non affecti detrahunt, etiam ubi laudem merentur: iccirco uti existimo parvam apud posteros hoc pacto fidem mereri. Ego vero rem ipsam obiter perstringendo neque minutiora quæ legenti fastidium parere possunt, refero: neque quæ notatu & animadversione digna lectoremque delectant intermitto. Non in verborum copia, aut styli sermonisque lepore ac elegantia: sed in veritatis relatione historiarum fundamentum pono. Quæ astipulante Tullio, testis debet esse veritatis. Ex cujus cognitione & lectione, si vera est & approbata, plurimi uti compertum habemus, priscis illis, imo etiam nostris temporibus in peritissimos bellicosissimosque evasere duces & imperatores: quorum hoc loco mentionem facere, vix necessarium arbitror: Vnum duntaxat affero. Nimirum de Lucullo tradi, qui Mithridatem & Tigranem vicit potentissimos reges, non aliam imperandi bellandique peritiam, quam ab historiis attulisse. Quæ sane si vel ob nimium in suos favorem adversæ parti detrahat: suæ vero ascribat, quæ non competunt: non testis habetur veritatis, sed suspecta fallacia, quæ legentem non modo non instruit: verum seducit & decipit: cum ea quæ suæ parti nociva sunt subiceat & extenuet: quæ vero juvant nimium amplificet & exaggeret.

Verum cum in conscribendæ historiæ veritate observanda, contingat optimos Patriæ natos & cives Reipublicæ laudare, e converso autem perversos & degeneres vituperare, evenit, ut ex odio veritatis hi ipsi, quorum non sat laudabilis fit mentio, osiores fiant vera scribentis: Et cum in æmulos vicisci injuriam nequeunt, tela in eos qui similitates eorum referunt, plerumque retorquent. Ut igitur imprimis inanis gloriæ bullas, ventusque tumidos, quos plerique ambiunt, qui historiam suam, cum adhuc in vivis extent divulgare curant, evitem: tum etiam ut eorum, quorum subinde non adeo grata fit mentio, livorem & odium effugiam. TE fortissimum juxta atque prudentissimum Ducem, cui libellum hunc manu scriptum dedo dedicoque, rogatum volo, ut lucubrationem hanc & exile in Te Ducem patriamque meam studium, a me serena fronte susceptum, in Tuam velis recondere bibliothecam: neque prius quam fatis cessero, vel Tu ipse, vel Posterius Tui edere curent. Quæ vero in hac historica relatione occurrunt, augenda minuendave aut saltem limitanda existimes: Tuæ singulari prudentiæ maturoque in rerum bellicarum experientia judicio, committo. Atque ut Te ipsum DEUS O. M. in patriæ reipublicæque nostræ, cujus Tu acerrimus defensor & propugnator existis emolumentum Domus

vero & antiquissimæ profapiæ tuæ ornamentum,  
diu salvum servet & incolumem, Tibi uti  
Mæcenati suo ex animo precor & opto.

CATALOGUS  
EPISCOPORUM ET ARCHIEPIS-  
COPORUM RIGENSIUM.

1. Episcopus Meinardus monachus. Lochaw. 1168.
2. Bartholdus Abbas Lucanus. 1196.
3. Adalbertus Canonicus Rigenfis. 1198.  
[f. Albertus Buxhövden.]
4. Nicolaus Canonicus rigenfis, 1230.

*Sequuntur Archiepiscopi.*

1. Adalbertus Westphalus (Saurbier) 1233.
2. Joan. a Lünen 1272.
3. Joan. a Vechten, 1286.
4. Joan. Comes Sverini. 1294.
5. Ifarnus post factus Archiepiscopus Daniæ.
6. Fridericus liber Baro Bohemiæ 1300.
7. Engelbertus a Dalen 1340.
8. Fromholdus a Visshusen. [Füllhausen] 1348.
9. Suihard. a Blomberg. [Siegfried.] 1369.

(XXIV)

10. Jo. a Sinten. 1373.  
11. Jo. Valendrader Francus. 1392  
Wallenrode.  
12. Jo. Habundi. 1417  
13. Henningius Scharffenbergk. (Hir.)  
1424.  
14. Sylvester Cancellarius Magistri [a Meng-  
den] 1449.  
15. Stephanus Gruben. 1480.  
16. Michael Hilbrandi Revaliensis. 1484.  
17. Gasparus a Linden Westphalus. 1509.  
18. Jo. Blankfelt, qui simul erat revaliensis &  
derpatens. Episcopus, Doctor vtriusque juris..  
1524.  
19. Thomas Schöning Rigenfis. 1527.  
20. Guilhelmus Marchio Brandenburgensis  
1539. Ultimus & titulo tenus duntaxat Archi-  
episcopus habitus.

CATALOGUS

MAGISTRORUM LIVONIÆ.

1. Vinno Ensisferorum Magister. 1204.  
[f. Winandus von Rorbach.]  
2. Volquinus Ordinis Teutonicæ Magister.  
(*sive* Schenken v. Winterstätten aus Schwaben.)  
1223.  
3. Hermannus Falke. 1239.  
4. Henr. von Heimborch. 1245.

( XXV )

5. Theodoric. von Gröningen.	1247.
6. Andreas von Stuklandt.	1250.
7. Eberhardus Baro von Seinen.	1256.
8. Hanno von Sangerhausen.	1258.
9. Borchardus von Hornhausen.	1261.
10. Georgius von Eichstädt.	1264.
11. Wernerus von Breithausen.	1267.
12. Conradus von Mandern.	1269.
13. Otto von Rodenstein.	1272.
14. Andreas Westphalus.	1274.
15. Walther von Nordeck.	1275.
16. Ernestus von Rassborch.	1278.
17. Conradus von Fuchtwange.	1279.
18. Wilhelmus von Schurborch.	1281.
19. Conradus von Herzogenstein.	1287
20. Boltho von Hogenbach.	1289
21. Henr. von Dumpshagen.	1294.
22. Bruno.	1296.
23. Gotfridus.	1298.
24. Conradus von Joke.	1307.
25. Everhardus von Monheim.	1327.
26. Borchardus von Dreileven.	1341.
27. Gosvinus von Erke.	1347.
28. Arnoldus von Vitinkhove.	1360.
29. Wilhelmus von Freimersen.	1372.
30. Lobertus von Hülfen.	1384.
31. Woldimarus von Brüggeneu.	1394.
32. Conradus von Vitinkhove.	1404.
33. Theodoricus Türke.	1414.

( XXVI )

34. Siverdus von Spanheim.	1418.
35. Cyfius von Rutenbergk.	1428.
36. Franco von Kersdorf.	1437.
37. Henr. von Bukkenrode.	1439.
38. Henr Finke.	1442.
39. <sup>2</sup> Joan. Ostthof von Mengden.	1456.
40. Jo. Walthausen.	1475.
41. Bernhardus von der Borch.	1477.
42. Johan Freitag v. Lorinkhove.	1486.
43. Gualterus von Plettenberg.	1495.
44. Hermann von Bruggeney dictus Ha- senkamp.	1535.
45. Jo. von der Rekke.	1549.
46. Henr. von Galen.	1551.
47. Guilielmus Fürstenberg.	1557.
48. Gothardus Ketler.	1559.

*AD LECTOREM ADMONITIO.*

Mirabere forsitan LECTOR OPTIME, qui fiat quod numerus Episcoporum & Archiepiscoporum Rigenfium medietatem non superet, numeri Magistrorum Livoniæ: Verum si causam scire placet, facilis assignabitur ratio, Nam Magistri Livoniæ, veluti belli duces fuere in Livoniam ideo vocati, vt armis catholicam religionem in barbara gente propagarent, quare continuo degentes in castris, (cum Livonia bellis frequentibus æstuarer, & a finitimis gentibus, vtputa Samogitis, Curonibus; Danis, Svecis, Moschis,

fæpius laceffita) in conflictibus plures occubuerunt, ne ad senectam pertingere poffent, quam in lecticulis matura morte erepti, ex hac vita difcefferunt. Archiepifcopi vero vt fpirituales Domini, & Primates hujus provinciæ, quibus tota Livonia obtemperabat, quos iniqui ob muneris & vitæ innocentiam fanguine manus contaminare non decebat, tranquillum peragentes ævum, juftum vitæ curriculum percurrendo, domi commorantes, vsque neceffitate naturæ compulfi, viam vniverfæ carnis ingreffî, in Domino obdormiverunt.

Præterea nec illud fîlentio involvendum, quia jufti judicii Dei, mirabiles fubinde, assignari queant rationes. Rohnburgi in Livonia, quæ arx fuit olim Archiepifcoporum Rigensium omnes Archiepifcopi fuperius recenfiti ordine depicti reperiuntur, qui in vniverfum viginti fuerunt, & quatuor Epifcopi qui eos in ipfis Livoniæ principiis præcefferunt: vbi id animadverfione dignum putavi, quod nimirum, decem & novem, qui re & titulo vere Archiepifcopi funt habiti, fpatium parietis palatii implentes, ultimo id eft vigefimo in fuo collegio locum non reliquerunt: Nec immerito, nam ultimus videlicet Guilielmus Marchio Brandenburgensis titulo tenus duntaxat Archiepifcopus, infuper et hæreticus, nec vllis facris Ordinibus initiatus, ita vt in fide & vita cum prioribus non conveniebat, fic etiam Dei iudicio

( XXVIII )

indignus habitus, ut locum cum cæteris occuparet. Priores enim illi novendecim omnes ordine in habitu episcopali sub infula, pedoque pastorali depicti reperiuntur. Ultimus vero ut loco ab aliis separatus, sic habitu diversus pingitur. Nam infula in faldistorium deposita, loco crucis pedive pastoralis ensẽ manibus gestat: & habitum archiepiscopalem in arma mutavit. Certissimum præbens indicium, hunc in Livonia in numerum Archiepiscoporum irrepisse, non ut pacem quæreret, sed ut bella ciceret, non ut oves Christi convocaret, sed ut dispergeret: quod tandem ad extremum eventus ipse probavit: Nam cum intestina bella, cum Ordine teutonico movere cœpisset, mox Livoniæ exitium subsecutum: nam diu secum certando & altercando, cum convenire haud poterant: Livonia affligitur, & in aliud mutata dominium, postremo sub Tyrannidem Moschicam redacta est. Sic vigesimus numero, [ ut nec plures nec pauciores viginti Archiepiscopos in Livonia fuisse, vere liceat affirmare ] Archiepiscopalis dignitatis muneri coronidem imposuit.

# PRÆFATIO A U T O R I S.

**V**NIVERSAM Livoniæ Historiam, ab annis quadringentis & quinquaginta [ nam annum circiter millesimum centesimum quinquagesimum octavum, a salutifero Virginis partu, primo Livonia a nautis bremenſibus, civitatis Weſtphaliæ reperta: ] quis hoc ſeculo, poſt tot bella & clades hujus Provinciæ, vere ac integre retexere vellet, vix reperiri poſſe intelligo. Eo quod Cruciferorum Ordo, ante centum ſexaginta annos, ob conceptum in Sylveſtrum, rigentem Archiepiſcopum odium, ordine decimum quartum, quondam Magiſtri eiſdem Ordinis cancellarium; poſtquam ſacrum Myſtam, veneno e medio ſuſtuliffent: Bibliothecam Archiepiſcopatus, veluti totius livonici cleri theſaurum diripientes, annales Livoniæ ibidem repertos, non ſine notabili, rerum tot memorabilium oblivione & interitu, memoriam poſteritati eripientes, ignibus abſumpferunt. Extant quidem recentiorum quorundam lucubrationes, germanico idiomate conſcriptæ, qui conati ſunt vel relatione aliorum, vel propriis ex conjecturis, Livonicam conſcribere hiftoriam. Verum quam feliciter id præſtiterint, ipſi ſane viderint; poſtquam edictis publicis deſuncti Ducis Curlandiæ Gothardi Ketleri cautum fuerat, ne talia exemplaria imprimerentur, vel

impressa in ejus Ducatu haberentur. Vnde constare potest liquido, prædictos auctores suspectos esse, & a veritatis semita exorbitasse: cum vel blandiendo aliquibus ascripserint, vel odio persequendo ex invidia affinxerint cæteris videantur, quorum nulla forsitan certa extat memoria. Qui enim historiam nostro seculo in Livonia conscribere aggressi sunt, recentioris doctrinæ Ministros esse certe constat: Hi quippe quid sani de orthodoxis hujus provinciæ Dynastis cæterisque Livoniæ Toparchis, viris catholicis, qui hujus soli magna cum immortalis sui nominis fama, fundatores extiterunt, tradere aut velint, aut possint, cuilibet relinquo sapienti cogitandum: cum Vatiniano magis odio succensi in Catholicos, optima quæque a majoribus præstita sinistre explicant: Vice versa suæ adhærentes sectæ, miris extollant elogiis, quorum tamen incuria, Livoniæ exitium jam pridem imminere omnibus in propatulo est. Quod igitur cæteris præstare difficile fore affirmo: nec ego mihi temere ausim præsumere, utputa de integro conari livonicam conscribere historiam: Et cuncta quæ in hac Provincia memoratu digna, in ipsis foundationis Livonicæ principiis ab annis quadringentis & quinquaginta contigerunt retexere: præsertim cum in hæc infelicissima incidimus tempora, quibus Livonia non modo antiquis careat scriptoribus, verum etiam incolis destituta, adeo ut, (nisi Deus ob flagitia

exacerbatus, placari queat) eam paulo post desolatam fore Sodomam, facile crediderim. Quare ea duntaxat literis mandare statuimus, ne omnia, vna cum temporis diffluxu dilabantur, ac sempiternæ sepeliantur oblivioni, quæ ab aliis scriptoribus, qui Livonicarum rerum crebram faciunt mentionem, non dissentiant, nec a veritate videantur aliena: aut quæ a majoribus per traditionem veluti pro ratis accepimus. Insuper accuratius commemorando, quorum recens apud plerosque hujus seculi extat memoria: Vt hac ratione nova nos finxisse, aut certa pro incertis, & e converso, retulisse nemo possit arguere: idque non prolixo adeo verborum ambitu, vt legenti nauseam pariamus; sed brevitati studentes, succincta ac compendiosa quadam serie commemoraturi.

## PARS PRIMA.

---

### LIVONIÆ DESCRIPTIO ET VNDE HOC NOMEN SORTITA.

**L**IVONIA nomen initio sortita est suum a LIBIS vetustissimis hujus regionis incolis, qui cis Dunam & ad littus maris baltici vsque ad fluvium Salis hanc inhabitabant provinciam. Lingva eorum est dialectus æsthonici idiomatis. Hæc provincia ob duplicem incolarum lingvam, qui antiquitus eam incolebant, in duas præcipue dividitur partes: In Lothaviam, quæ finitima est Litthuanix & Samogitix, idcirco magnam quoque Lothavi cum Litchuanis linguæ habent affinitatem: & Æsthoniam, quæ finitima est Finlandix; quapropter Æsthones & Finnonnes magna ex parte, secum in loquela conveniunt. Lothavorum vero & Æsthonum idiomata adeo diversa videntur, vt verus Lothavus Æsthonem minime intelligat: pari modo Æstho Lothavum non percipit. Dividitur autem Æsthonia in varios districtus: vtpote Harrien, Wirland, Allentakiam, Wayel, Odenpe, qui est Episcopatus derpatensis, Jerven, Wike. Lothavia vero in hos partitur districtus; Libiam, Lothaviam veram, Curlandiam, Semigaliam. Spectant quoque ad Livoniam insulæ aliquot satis fertiles & copiosæ incolis: vti Oselium,

Dagen, Mone, Wormfo, Rone, Wrango. Inter quas præcipuum habent locum Ofelium & Dagen, quarum quælibet quatuordecim miliaria germanica in longitudinem, & feptem in latitudinem continet. Ofelium duas habet arces munitiffimas, Arensborch & Soneborch. Incolæ harum partium æfthonico vtuntur idiomate. Habet autem Livonia finitimas fibi adjacentes regiones. Ab Oriente Mofchoviam, a Meridie Lithuaniam & Pruffiam, ab Occafu mare balticum, ab Aquilone Sveciam. Livoniæ fines per centum miliaria germanica extenduntur, a Revalia vsque Rigam fehexaginta numerantur. Riga verfus Memel ad fines Samogitiæ, quadraginta & aliquot. E converfo vero ab Ofelio vsque Rigam per mare parimodo fehexaginta miliaria. Et Rigâ vsque Duneborch Dunam afcendendo quadraginta cenfentur. Habet hæc provincia arces & munitiones muro cinctas centum & ultra, quarum quælibet habet adjunctum suburbium. Civitates muratæ novem: Riga, Revalia, Pernavia, Narvia, Wenda, Wolnaria, Kokenhaufium, Felinum, Dorpatum. Dominium autem hujus provinciæ in multas partes divifum fuit. Nam Archiepifcopus rigenfis, cum quatuor Epifcopis, revalienfi dorpatenfi ofilienfi & Curlandiæ, duas partes Livoniæ fibi vendicabant: Magiftro vero cum Ordinis fui fratribus, tertiam tribuebant partem, tanquam Duci exercitus, qui cum Crucigerorum

Ordine ideo in Livoniam acciti fuerunt, vt pro catholica religione, aduersus barbaros & hostes Ecclesiæ dimicarent, & Christi propagarent fidem in armis. Cathedræ Archiepiscopatus rigensis, hæ arces erant assignatæ, Kokenhausium, Rohnburg, Seswegen, Schwanenburg, Pebalgum, Treiden, Cremon, Lenwarden, Uxkel, Lemfel, Laudon, Marienhaus, Lucin, Erinsborg (*Creuzborg*) Serbin. Episcopus revaliensis, duos integros districtus possidebat: Bornholm & Fegefeuer, latine purgatorium dictum. Episcopus vero dorpatensis occupabat Dorpatum, Kirienpe, Novogrodiek, Oldentorn, Werenbeker, Odempe & Monasterium Falkena, Ordinis sancti Dominici. Episcopus Curlandiæ tenebat Angermundem, Piltin, Novam arcem, Amboten, Dondangen & oppidum Hafenpoten. Episcopus osiliensis, Arensborch, Lode, Hapsel, Leal & monasterium Padis bene munitum.

Arces vero Magistri Livoniæ hæ numerantur, Wenda, Wolnaria, Arx rigensis, Nova mola, Kirchholm, Burtnik, Ruina, Ermus, Trikatum, Karkhausium, Helmet & Tukkum. Marischalci vero Livoniæ & Commendatorum Ordinis teutonici hæ censentur: Dunamundum, Ascherotum, Sigwoldum, Sunsel, Felinum, Arx Revaliæ, Pernawia, Marienborch, Duneborch, Goldingen, Mitawia, Window, Doblin, Frouenborch, Neuborch, Jurgensborch, Lays,

Tarwast, Vberpol, Dorben, Adzel. Advocatorum ceterorumque Fratrum Ordinis teutonici, hæ sunt munitiones. Albus lapis, Wefenborch, Narvia, Tolsborch, Neuborch, Soneborch, Dalen, Bausk, Candouw, Salis, Grobin, Rositen, Seleborch, Skuien, Nitawia, Creutzborch. Nobilium autem excellentioris familiæ arces fuere, Ringen, Randen, Cawelet, Aetz, Pürkel, Fikkel, Lude, Rohp major, Rohp minor, Rosenbeck, Hochrosen, Berfon, Edwalen, Annenborch, Rodenpeus:

Præcipuæ vero civitates Livoniæ sunt, Riga, Revalia, Narvia, Pernavia: singulæ habentes emporium, vbi variarum nationum mercaturæ exercentur. Livonia quoque abundat Nobilibus, qui aliunde in hanc provinciam venerunt: præsertim ex Westphalia & Pomerania figentes hic sedem, adeo ut inoleverat proverbium: *Livonia, Germanorum xenodochium*; estque ad nutriendos suos incolas sufficientissima, ut vix ullus ex præcipuis reperiatur Nobilibus, qui non proprios habeat lacus, stagna & amnes omni genere piscium refertos: cæduas sylvas & nemora, vbi ferarum est copia aviumque sylvestrium, perdices quidem rariores, *bonosæ* anates plurimæ. Frequentiores sunt alces, capræ sylvestres raræ ob multitudinem luporum, qui eas extinguunt. Aprorum & vrforum aliquibus in partibus magna multitudo, ut subinde agmina eorum videas. Castores,

lutræ, Lynces, non sunt rari, sicuti martes & vulpes. Leporum copiosa est multitudo: suntque diversi, alii namque hyeme albescunt ut nivis, alii semper grisei; frequentiores autem albi. Licitum est in Livonia etiam subditis quibuscunque in suis partibus aucupia exercere: piscari venari solis Nobilibus. Feras insequi, capere laqueis, foveis, hastis, sclopetis, licitum est etiam agricolis. Stagnorum magnus est numerus, ut vix ea quis enumeret: nam ut ceteras præteream arces, quæ singulæ suos habent lacus non paucos; hæ tres arces Rositen Lucin & Duneborch, centum & viginti habent stagna. Quid putas credendum de tota Livonia? inter quos lacus præcipui sunt & nominatiores: Peips qui XXX miliaria dicitur habere in longitudine & in latitudine XV Ab vna parte alluit Moschoviam, ab altera vero Dorpatum, a tertia Narviam, a quarta Lais & Kiriempe. Est præterea inter Dorpatum & Felinum, alter lacus dictus Fertscher (*Wertzjerw*), habens septem miliaria in longum, in latum autem duo. In Lothavia quoque est lacus Lubban, spatiosus, septem miliarium longus; duorum vero latus. Fluvii celebriores Livoniæ, hi numerantur in Lothavia. Duna qui a Kihoviæ finibus fontes trahit, Gavia, Evista, Salis. In Æsthonia sub Dorpatum Emmajogge, latine interpretatur mater fluviorum, ob copiosam piscium multitudinem. In hoc flumine, uti ab in-

colis istius loci refertur, Sirenes reperiri dicuntur; quos illi deorum loco colunt, fluit ex Ferscher in lacum magnum Peips. Est alius quoque fluvius Narvia dictus, in quo tantæ aquarum sunt cataractæ, vt a strepitu illarum incolæ fiant surdastres. Tertius est fluvius Pernavia, vnde & civitas illa nomen habet. In Curlandia sub Mitavia Buldera, Memel & Mus sub Bausk; Window & Libo. Nec illud intermittendum putavi, etiam fluvios reperiri in Livonia, vbi nascuntur vniones in conchis, vti ipse vidi, non minoris magnitudinis, vt videantur orientales esse, præcipue cum bene maturescunt. Sed quia imperitia laborant rustici illius loci, vt tempus maturitatis non advertere possint certum, fit vt colligere eos nequeant; idcirco rariores.

Estque hæc provincia etiam frugum fertilitate vberissima, quippe quæ omnis generis frumenta producit, & quamvis minori cum molestia terra excolatur, & versus septentrionem sita fit & finitima Sveciæ, tamen intra tres menses frumenta æstivalia maturescunt. Armentorum & pecudum mater & nutrix est optima, sufficiens præbendo alimentum. Sylvis & eremis ditissima, quibus paludes sunt intermixtæ, pascua & prata pingua, fœni copia. Apum & mellis quoque nulla caritas, quamvis antea major fuit mellis abundantia. Agri fertiles adeo, vt plerique denario fructu gaudeant, agricolæ ex seminibus.

Censum multum pendunt Dominis subditi, ita ut ignorem num aliqua reperiatur regio, ubi plus annuatim Domino solvunt rustici quam in Livonia, tam in frumentis quam re familiari.

## DE CULTU RELIGIONE ET MORIBUS INCOLARUM LIVONIÆ.

Barbaram hanc ab initio fuisse gentem, & omnis expertem urbanitatis civilitatisque, vel ex eo quod solem, lunam, tonitrua, deorum loco coluerunt, liquido constat. Pari modo serpentes venerabantur, quos in domibus alebant, qui adeo fuere cicures & mansueti, ut neminem in domibus eorum tam ex hominibus quam jumentis læderent: ut etiam parvuli eorum, cum illis luderent; quorum usus etiam in hodiernum diem usque apud plerosque habetur, ubi in lectis & stratis una cum illis cubant. Plurimi in hac gente, & nunc quoque incantationibus, veneficiis, variisque superstitionibus addicti, quorum alii dracones in domibus suis alunt, qui frumenta furantur & ad suos reportant, alii serpentes ingentis magnitudinis nutriunt, qui mulctram furantur vicinis pecoribus, & domesticis afferunt. Alii sal incantare sciunt, quo sibi infensos veluti toxico quodam veneno inficiunt. Adeo sunt aliqui periti magicis istis artibus, ut etiam media æstate cum infensissimi esse soleant calores, provocare possint pruinas, frigora, nives. Et

quod magis est, frumenta iam sata & iam ex terra prodeuntia ad talos vsque, suis veneficiis impellunt, vt retorto modo superiores fines in terram recrescant, & tanquam tricæ in agris intricentur, vt agricola nullum inde habeat fructum. Colunt nonnulli quercus insignes aliasque arbores opacas & ingentes, per quas olim Dæmonum responsa acceperunt. Cæteri lucos adorabant, quos circa pagos & domos fovent, qui a deo sacri habentur, vt in eis virgultum excindere nefas sit: quin existiment illico ei malum evenire, qui hoc facinus tanquam sacrilegium commisit. Observant quoque hanc consuetudinem in hodiernum vsque diem, quando magna est siccitas terræ, in defectu pluvix, solent in collibus inter densissimas sylvas tonitrua adorare, eique immolare juvencam nigram, hircum nigrum, & gallum nigrum: quibus mactatis ritu suo conveniunt plurimi ex vicinia, ibidem convivantes & potitantes, invocando *Percunum*, i. e. deum tonitru, omnium primo infundentes craterem cerevisiæ, quem ter circumferentes circa ignem ibidem excitatum, postremo effundunt in ignem orantes *Percunum*, vt pluvias fundat & imbres. Mortuorum cadavera priscis illis temporibus in rogam injicientes ardentem, combusserunt. Quotannis suorum atavorum avorumque singuli singulos vocantes nominibus propriis, memoriam obire consueverunt, idque mense No-

vembri, circa commemorationem omnium fidelium defunctorum. Utuntur autem his ritibus, calefaciunt balnea, scopis mundantes, apponentes animabus eorum cibum & potum, existimantes eas egere illa refectione cibi potusque, vt in hac vita. Vbi autem ad vesperam vsque cibus permanferit illæsus, alloquuntur animas his verbis. Animæ carissimæ, ecce nos tractavimus Vos pro posse nostro, æqui consulite & finite nos per hunc annum vsque anno sequenti redeunte, anniversario die Vos sumus pari liberalitate tractaturi. Quibus dictis cibum potumque appositum animabus, in ædes suas deferentes, ipsi consumunt. Alii in sepulcris & monumentis Suorum, cibum & potum animabus apponentes, eosdem obeunt ritus. In exequiis autem lamentari consueverunt diram servitatem & impium Dominotum jugum detestando, gratulando vero mortuis qui hanc servitatem evaserunt, qua crudeles Germani eos oppresserunt. Habitus eorum spretus & vilis ex panno telaque quam ipsi conficiunt. Calceamenta ex cortice tiliæ & salicis sibi plicare apte norunt. Hyeme vero in eandem formam, ex cute jumentorum sibi calceos parant, quos Pastalas vocare solent. Mulieres & vxores eorum comas nutriunt, nunquam plectentes, sed per cervicem & genas dependent non sine nausea eorum, qui eorum usum ignorant. Vittis tamen lineis capita tegunt, filis versicolo-

ribus textæ vel acu pictæ. Ancillæ & innuptæ ferta gerunt ex fetis equorum varii coloris, quas ipsi coloribus imbuere optime sciunt, satis artificiose texta, quæ signa sunt virginitatis. In Libiæ vero partibus, & cis Dunam incedunt ancillæ coronis ex lamina aurichalci factis, forsitan idcirco quod Libi ex regia oriundi familia. Equum dum equitare vult, tenetur rusticus a dextro latere ascendere vno cum calcari, cum proficiscitur per sylvas, ejulare potius quam cantare solet, *Jeru Jeru masculu Jehu Jehu Jehu*. Germanus si illi fuerit obuius, mox ab equo desilire tenetur donec transeat. Armis nullis uti, illis conceditur, nec aurum gestare. Vescuntur plerique pane filigineo & carnibus porcinis magis quam bubalis, jejuna stricte observare solent: feriis quartis jejulant ex traditione majorum. In quadragesima vix præter caules & raphanum comedunt. Cerevisiam in suis partibus potissimum ex hordaceo brasio, lapidibus braxare siverunt. Alii massam facientes ex farina polentæ missa in frigidam aquam, deinde in furno pinsere solent, quæ cum bene tosta, aqua ferventi ac bullienti superinfusa, saporem & dulcedinem eliciunt, inde cerevisiam non sane inspidam conficere norunt. Raptu puellarum sua connubia contrahunt. In nuptiis eorum diu noctuque stratæ sunt mensæ, nec cibus vnquam deesse debet, nam fercula & cibi, alii alios sub-

sequuntur idque per triduum. In quibus nuptiis vel aliis computationibus, promiscue dormiunt viri & sœminæ in vno strato. Choreas ducunt utroque simul proficientes pede. Cantilenæ eorum ferme distichis includuntur, quæ paritate syllabarum conveniunt: sunt pleræque argutæ & sensum in duobus absolvunt versibus. Omnes eodem cantantur tono & melodia. Lingua eorum adeo sterilis est, ut optima quæque proferre non posses, nam virtutem, probitatem, devotionem, & alia plura maxime necessaria, proprie eorum lingua interpretari nequis. Habuit hæc gens olim quoque regulos suos, quorum alter Libiæ rex, alter Curoniæ dictus fuit. Uterque progeniem suam reliquit, Nam qui Libiæ & Lothaviæ dominabatur, inter Kirholm & Uexkel non procul Riga suam fixerat sedem, ubi & nunc reperiuntur ex ejus familia subditi, qui Regis nomine vocantur. Qui vero Curlandiam regebat, circa Grobinum habitabat, ubi et modo pagus integer est ex ejus progenie, qui præ ceteris hac libertate donatur: ut censum non solvat Duci: nisi equos aliquot alere tenetur militares, pro expeditionibus ubi opus censetur.

Est autem gens hæc per Dei gratiam nunc tandem non sine magnis laboribus & copiosa sanguinis partim Barbarorum partim Christianorum effusione, ad Christi fidem conversa, & catholicis ritibus imbuta, (quamvis aliquibus in partibus

reperiri queant qui in institutione christiana, ob sacerdotum inopiam, quorum semper defectus fuit, præsertim iis in finibus, ubi rarior est frequentia hominum, & incolæ in sylvis degunt non bene informati, ) sufficit tamen quod baptismatis lavacro initiantur & Christiani fiant, quod ex majorum traditione acceperunt. Vbi vero sunt civitates, & arces crebriores reperiuntur, ibi sane hic populus simplex magna cum devotione sacris ritibus & concionibus interesse solet. Cum autem solennitates imminent festorum, turmatim ad confessionem properant, ut una diè videas sexcentos vel septingentos ex rustica gente promiscue viros & fœminas communicare. Magno in usu est apud illos sal benedictum adversus morbos & veneficia, sic aqua lustralis etiam, quam in domibus servant. Per quæ, operante eorum fide, Deoque cooperante, sæpius ab infirmitatibus suis liberantur. Cum parvuli eorum ægrotant, ad sacerdotem deferunt, ut manus illis imponat, & oret super eos. In malitia quoque innatam quandam habent calliditatem, ut fallere, decipere, mentiri artificiose, quod est illis proprium, adeo ut aliquando ingenia eorum mirari debeas cum videantur tam simplices & inculti. Ad juramenta præstanda cum coram iudicio lis est, non facile inducuntur, & si qui juramentum præstant, exosi sunt aliis. Malunt damnum subire etiam notabile, quam jurare etiam in causa iusta. Gens laboriosa nimis &

fœcunda, vix aliquot horas tribuit quieti, diu noctuque operatur. Externorum familiaritatem maxime fûgiunt. Si Polonus aut Germanus advenit inſperate, mox latebras quærunt & ſylvas conſulunt. Benefici autem ſunt in eos quos noverunt, nec viaroti cibum denegant.

### QUOMODO LIVONIA PRIMO A GER- MANIS REPERTA:

Annum circiter milleſimum centefimum quinquageſimum octavum, Friderici Barbaroffæ Imperatoris tempore Livonia a nautis civitatis Weſtphaliæ dictæ Bremen. primo inventa eſt, qui inviti adverſo vento & tempeſtatibus, in oſſia Duna ad littus *libicum*, vbi *Libi* vel *Livi*, ut ſuperius relatũ eſt, hanc provinciam incolebant, appulerunt. Ibi multis diebus ſecundũ expectantes ventum, ut tædium temporis ſublevarent, cum regionem viderent ſylvis denſis obſitam, in littus descendunt, hinc inde luſtrantes incolarum caſas atque tuguria, quos in nigro advertentes habitu, tanquam peregrinos & invidioſos barbaris, relictis domibus ad ſylvas fugiunt. Germani vero & nautæ eo tutiores omnia percunctantur, cum magnam apium copiam reperiſſent in eorum partibus. Et gens illa mellis duntaxat liquorem ex favis expreſſum, ceram, cujus uſum ignorabant, cum apibus interfectis immundam adhuc in acervos ad inſtar ſimã

cumulos accumularunt. Quod cum agnovissent mercatores germani, qui in littus descenderant, non parum exhilarati, se magnum suæ navigationis commodum invenisse: significantes id cæteris qui in navibus remanserant, ne forte ob paucitatem a barbaris interficerentur; naves suas talibus quisquiliis onerare cœperunt; relinquendo tamen incolis munuscula loco ceræ, ut secures, vomeres, cultros, annulos, & id genus alia. Tandem nacto vento secundo, ad propria navigant, non sine emolumento. Intimantibus autem cæteris, suæ navigationis successum, & quod vidissent regionem ignotam a barbaris inhabitari, quorum linguam non perciperent, proinde situm loci & incultam barbariem gentis illius; plures sibi associarunt naves, secundo jam studio in Livoniam tendunt. Quod cum æque feliciter successisset, diutius jam commorati, ut saltem per modos varios, gentis illius qualenam notitiam contraherent: eminus per signa & gestus eos allicere cœperunt, humaniter eos tractantes, & singulis munuscula distribuentes: barbari autem experti externorum benevolentiam, aliis exponunt, & successive sic plures allexerunt. Quos pari excipientes humanitate Germani, sensim eos pellicere cœperunt, ut cum eis conversarentur.

Sequenti autem vere plures colligentes naves, portum libicum petentes non parvo cum comi-

tatu, & mercium variarum copia, facilius illis patere cœpit aditus quam ante. Liberior cum barbaris conversantur, quos more solito Germani devincire sibi, omnibus modis laborant. Cum quibus per multum tempus cum morati fuissent, aliquot suæ gentis pueros inter Livos relinquunt, linguam peregrinam addiscendi gratia, donec reverterentur: ipsi vero in Westphalam navigantes læti, læta nuncia suis referunt. Cum autem quarto redirent, magis adhuc auctus est navium hominumque numerus. Tum per interpretes suos pueros, cum Livis lingua eorum agere cœperunt, omnem eis exhibentes humanitatem, ita ut barbari Germanos haud vererentur, concedentes mercatoribus ut illis liceret ulterius ingredi eorum regionem cum mercibus suis. Interea Livorum regem adeunt, quo invitato, cum magna barbarorum frequentia laute & splendide mercatores tractarunt. Quo in convivio inter cœtera fercula etiam duo haleces regi apponuntur, qui pisces ignoti erant huic genti. Rex autem sciscitatus qualisnam esset hic piscis? cum marinum esse intellexisset, halecem a cauda scindere cœpit. Quod factum Germani sibi pro omine habuerunt: divinantes sibi, hanc gentem aliquando subjectam fore Germanis, quem morem multi in hunc usque diem Livones rustici habent, ut comedentes halecem semper a cauda incipiant.

Eodem tempore Germani a Liborum rege impetrarunt tantum fundi, vt bovis corio cingere & occupare possent: quod cum obtinuissent, non enim credebatur Rex dolum latere sub tali petitione, illi corium tenuissimas in ligulas discindendo, partem terræ vbi nunc Riga sita est cinxerunt, vbi suas ædiculas pro mercimoniis struere cœperunt. Ne autem aliquando a barbaris spoliarentur, & vt magis tuti inter illos habitarent, petierunt sibi concedi a rege vt ædificare illis licitum esset promunitione lapideam aliquam, vbi se tueri possent, si vim paterentur a barbaris. Itaque cæmento ex Germania advecto, primo Templum divo Martino ædificare cœperunt, in insula quæ in mediis aquis sita est fluminis Dunæ, quo consummato Uxkel arcem & Dalen, cis Dunam locarunt. Hac ratione cum Germani se pedem quodammodo fixisse in Livonia advertissent, & illis concessum esset, iam vltro citroque per Livoniam proficisci cum mercibus, quibus gens barbara delectabatur, adduxerunt secum ex Germania sacerdotem, virum pium, & doctum monachum ordinis D. Dominici, MEINHARDUM nomine, qui munia sacra obiret, & discendo barbarorum linguam, eorum se accommodabat moribus & ingeniis, cœpitque eos docere fidem Christi, quam ipse Dominus tum miraculis tum verbo salutari confirmavit. Crescente autem in dies Germanorum & mercatorum numero in

Livonia

Livonia vt jam quodammodo si quid aduersi eis eveniret, resistere barbaris possent, cœperunt fundum suum a rege, vt ante diximus impetratum, quem corio bovis circumdederant, incœnibus cingere & lapideas sibi ædificare; locaruntque ibi Civitatem Rigam, ad littus Dunæ, quæ nomen sortita est suum ab ædificiis vel horreis, in quibus Livones sua solebant siccare & triturare frumenta; quorum ad littus Dunæ magna fuit copia, quas ædes Livi vel Livones sua lingua *Rias* vocare soliti. Quod cum advertissent barbari, cœperunt resistere & minus tempestive sapere. Meinardus tamen qui gratiam hujus gentis ob vitæ pietatem obtinuerat, barbarorum rabiem & furorem mitigare cœpit, persuadendo illis, Germanos non in præjudicium eorum, civitatem munire, sed vt ipsi potius tutiores intra mœnia degere possint. Si quomodocumque sedati Livones quiescere cœperunt, interim tamen pergunt Germani in perficiendo opere.

### MEINARDUS MONACHUS

#### PRIMUS EPISCOPUS LIVONIÆ.

Accitis pluribus in Livoniam sacerdotibus & presbyteris, Germani MEINARDUM Monachum cum aliquo præcipuo ex regia Livorum familia viro, qui ad fidem Christi a MEINARDO conversus, & cum tota sua domo & affinitate baptizatus, *Cobbus* nomine, Romam mittunt ad Pontis-

ficem *Alexandrum* ejus nominis III, vt Episcopum aliquem statueret & mitteret in Livoniam. Pontifex percunctatus a MEINARDO ejusque comite, provinciæ & gentis illius morem & vitam, proinde fructum quem Germani fecerant in Livonia, vt gens illa converti posset ad religionem catholicam: eundem MEINARDUM Livoniæ creavit Episcopum, tanquam de Livonia bene meritum, qui et linguam eorum didicerat. Reversus igitur in Livoniam MEINARDUS cum comite suo *Cobbo*, non sine summo Christianorum gaudio & applausu, cœpit strenue in vinea Domini laborare, & Christi fidem in barbara gente propagare. Germani autem moliantur opus jam cœptum perficere. Verum MEINARDUS viginti tribus annis cum magna laude animarumque salute huic provinciæ præfuisse, non sine luctu Christianorum ex hac vita migravit ad Dominum anno 1193.

BARTHOLDUS ABBAS LUCANUS  
SECUNDUS EPISCOPUS LIVONIÆ.

DEFUNCTO *Meinardo*, Germani mittunt ad Archiepiscopum bremensem civitatis Westphaliæ, orando vt eis a summo Pontifice alium Episcopum impetraret. Substituatur idcirco in locum *Meinardi*, *Bartholdus Abbas Lucanus*, qui veniens in Livoniam, statim obvios habuit in armis Livones, Æstones & Curones, volentes

Episcopum cum Christianis exturbare ex Livonia. Verum *Bartholdus* cum suis Christianis, coactus est committere praelium cum Atheis, in partibus ubi modo *Kokenhausium* situm est. Verum praedictus *Cobbus* in conflictu illo habito cum barbaris, lethali vulnere nactus, paulo post diem suum obiit. Ceciderunt ex Christianis trecenti, attamen parti sunt Christiani victoriam.

Exinde Germani auxilia petentes ex Germania, certare coeperunt cum barbaris de dominio. Sub hoc Episcopo perfectum est opus, quod coeperant Germani, videlicet *Rigam* mœnibus circumdare. Quod ipsum cum *Aesthones* ferre nollent, iterum arma parant adversus Germanos & Episcopum *Bartholdum*. Cum esset magna peregrinorum copia in Livonia, cogitur Antistes secundo cum illis confligere, quo in conflictu non adeo feliciter decertatum est. Nam ipse Episcopus in hoc praelio occubuit, cum MLX Christianis, quum praefuisset Episcopatu vndecim annis.

## ADALBERTUS WESTPHALUS

### TERTIUS LIVONIAE EPISCOPUS.

EXTINCTO *Bartholdo*, qui non sine Christi fidelium in Livonia mœrore in praelio occubuit, iterum mittunt Livones ad Archiepiscopum bremensem, qui alium in Livonia procuraret Episcopum. Erat tunc *Bremæ* vir pius & rectus *Adal-*

*bertus*, ex eadem civitate oriundus, non postrema familiae. Hic Romam missus ad Innocentium III rom. Pontificem, qui eum Episcopum constituerat Livoniae, & adjunxit Pontifex eidem Episcopo adjuutores, qui illi forent auxilio adversus barbaros, equestris ordinis fratres *Ensi-feros*, quorum votum erat castitatem servare, obedientiam praestare & pro Christi fide pugnare, & vitam sanguinemque profunderent. Habitus erat eorum *Ensi-feris* alba, rubea insignita stella: & gestare enses, unde et *Ensi-feri* dicti fuere. Hic Episcopus cum ordine praedicto, hoc privilegio donatus erat a Pontifice, ut quidquid illi sibi subjugarent ex barbara natione, eorum Dominio potirentur, tanquam veri haeredes cum suis posteris.

## VINNO

### PRIMUS MAGISTER LIVONIAE.

ANNO idcirco 1204 *Adalbertus* Episcopus cum ordine *Ensi-ferorum* missus in Livoniam, cujus ordinis Superior erat vel Magister *VINNO*, vir fortis & bellicosus, qui ab Episcopo *Adalberto* Dux belli erat constitutus. Uterque illorum omni studio laborare coeperunt, ut quam plurimos Nobiles in Ordinem suum recipere possent, quo facilius genti feroci & barbarae resisterent. Nam summus Pontifex hunc Ordinem multis titulis & indulgentiis ditavit, omnesque qui adver-

sus hanc gentem pro Christi fide certarent. Idcirco magnus & frequens erat Peregrinorum numerus in Livonia qui ob indulgentias consequendas vltro et suis sumptibus pugnabant cum Atheis Libis, & Æsthonibus, Curonibus & Lothavis, pro religione catholica. Hic Vinno Magister Ordinis Ensisiferorum & Dux belli in Livonia, sæpius cum prædictis nationibus conflixit satis feliciter. Nam et Moschorum Ducem cum suis profligit, ubi ipse Dux cum sexcentis occubuit, & munitiones quas barbari tenebant in finibus Kokenhaus occupavit.

Hicse ferme temporibus idem Episcopus Adalbertus, duos alios Episcopatus, alterum in districtu Uggenus, qui postea dictus dorpatensis, alterum lealensem, diversis in locis fundavit. Lealensi Cathedræ præfecit Abbatem bremensem *Hermannum* nomine, qui arcem Leal & Monasterium ibidem exstruxit. Hic Episcopus veniens Rigam, Albertum Episcopum rigensem visitat cum illo de rebus arduis consultando, quæ in Episcopatus sui principiis videbantur inservire sibi: qui tum temporis ab eodem Episcopo rigensi etiam uggenensis constitutus est Præsul, & ibidem arcem episcopalem cum cathedrali Ecclesia perampla, Dorpati ædificavit, in loco amœno prospicuoque. Hic Hermannus dum circa ædificationem arcis & cathedralis Templi occupatur, interim Sveci arcem Leal cum

Monasterio expugnarunt, qui incio Hermanno in ejus Episcopatum irrepserant. Verum expulsis iterum Svecis, denuo Leal cum Monasterio restauratur, constituiturque ibidem alter Episcopus ejusdem nominis vt prior. Circa idem tempus Episcopus rigensis, variis in locis Ecclesias & Cœnobia extruxit, variorum Ordinum Religiosos in Livoniam accivit. Ecclesiam cathedralem Rigæ, sub titulo Assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ ædificavit, qui et deiparam Virginem in Livoniæ Patronam adoptavit. Hinc in vsu erat apud Fratres Ordinis Ensisiferorum, cum aliquis Novitius, in eorum reciperetur Ordinem, eum initiando hoc modo. Magister ipse ensen evaginatum tenens manibus, admonitione vsus ad eum qui recipiendus erat ad regulam Ordinis illius, qua finita, eum in dextrum humerum leviuscule percutiens, inculcando hunc sequentem rithmum:

*Dis Schwert entfange von meiner Handt,*

*Zu schützen Gotts und Marien Landt.*

(De manibus defume meis hunc militis ensen,  
Ac Christi Matrisque suæ defendito terram.)

Anno 1208 alter Hermannus lealensis Episcopus quoque Rigam profectus ad Episcopum rigensem. Interim Johannes Rex Sveciæ ejus nominis primus, magno cum exercitu in Livoniam venit, Episcopos, & Presbyteros secum addu-

cendo, qui infideles Æsthones ad fidem conver-  
 terent. Hic cum per districtum pernaviensem  
 iter facit cum exercitu, Æsthones depopulando,  
 simul arcem Leal occupavit, ibi ex suis Episco-  
 pum relinqvens cum Capitaneo quodam Carolo  
 nomine & præfidiis munivit, relinqvendo quin-  
 gentos milites svecos. His peractis rex ad re-  
 gnum properat. Æsthones vero ex Insula Osel  
 districtuque pernaviensi, qui alias dicitur Wike,  
 colligentes exercitum, magna vi adoriuntur Sve-  
 cos, & arcem obsidione cingunt Leal, igneque  
 eos angustiantes qui in arce erant. Episcopus  
 cum Carolo Capitaneo statuunt configere cum  
 Æsthonibus, quos cum non tam multos speras-  
 sent, ab Atheis & Barbaris omnes ad vnum cæ-  
 duntur: arcemque incendio absumferunt. Sic  
 Sveici pariter & Germani carere coacti sunt, quod  
 magno cum labore partum erat, non nisi pro-  
 pter invidiam Svecorum: vnde tamen commo-  
 tus Episcopus rigensis & Magister Livoniæ *Vin-  
 no*, colligentes copias, Æsthones adoriuntur,  
 debellantes eos & sic in ordinem redigerunt; qui  
 coacti sunt prædictam arcem Leal reædificare.  
 Istis temporibus Cathedra Episcopi lealensis in  
 antiqua Pernavia fundata erat, quia nullibi loco-  
 rum in Æsthonia arces adhuc extractæ erant. Post-  
 quam autem Æsthones arcem Leal iterum perfe-  
 cissent, sedes Cathedræ Pernaviâ, Lealum trans-  
 lata fuit: (quæ deinceps cum Oselii arx Arens-

burg extructa esset, ) sedes Episcopi lealensis, tum Episcopatus lealensis, translata est Arensburgum, & mutato nomine dictus est Episcopatus Oseliensis.

His peractis cum Æsthones ad obedientiam redacti essent, vt paulo ante relatam est, commotus est quoque Waldimarus II ejus nominis rex Daniæ, experiri fortunam suam in Æsthones, qui præmittens exercitum copiosum in Livoniam, hos districtus, Harriam, Wirlandt & Jerven subjugarunt. <sup>1</sup> Seqventi vero anno, Rex ipse cum Archiepiscopo Lundia subsecutus, & cum exercitu non parvo Revaliam appulit circa annum 1223. Vbi primo cœpit arcem revaliensem fundare: pari modo Wefenberg & Narviam ad perdomandos Barbaros & feros Æsthones. Exinde Episcopi Daniæ cœperunt expensis regis sui ædificare & fundare Tempia & Cœnobita passim in Æstthonia. Cum igitur adverterent Episcopus rigensis & Magister Danos non ociari, sed sedulam operam agere, vt ædificarent arces, nec illi desidiores facti, eorum exemplo incitati cœperunt ædificare Dunamundam arcem, Sigwoldum, Wendam (*sc. Auvsch*) & Ascherotum. Præstitis igitur tam multis præclaris facinoribus, Vinno Magister Livoniæ, habens inimicum & abjuratum hostem domesticum, ab illo clam cum Sacellano suo interficitur: postquam annis octodecim suæ Regulæ fratribus magna cum laude

præfuiſſet. Cognito autem ſcelere, homicidam illum, qui erat Procurator wendeniſis, pœna qua dignus erat, Ordinis fratres mulctarunt.

## VOLQUINUS

### SECUNDUS MAGISTER LIVONIÆ.

ANNO 1223 poſt obitum Vinnonis, ſucceſſit in Magiſterio Ordinis Enſiferorum Volquinus, vir juſtus & Ordini ſuo fidus Præfectus. Hic exiſtitit fundator Caſtri Felinenſis. Qyam muniti- onem cum Æſthones ferre non poſſent, præſidia quæ Magiſter Volquinus Felinum miſit ad tuendam arcem, Æſthones eos in ſylvis latenter circumdantes interfecerunt. Barbari vero vndique colligentes reliquias ſuas, ingentem exercitum congregarunt, volentes denuo Germanos exturbare ex Livonia, quod cum intellexiſſent Germani & vires ſuas impares ſcirent ad ſuſtinendam Barbarorum vim & impetum, Epiſcopus rigeniſis Adalbertus coactus eſt ad Ducem Saxonix ſe conferre, vt ſuppeticas impetraret. Perſuaſus ergo idcirco ab Epiſcopo rigeniſi, Princeps Saxonix Adalbertus multis cum nobilibus & Peregrinantibus ex Saxonix in Livoniam expeditionem facit, debellare Æſthones, aliosque indomitos Barbaros. Itaque adventantibus in Livoniam Saxonibus, Æſthones exercitum congregantes, obviam Germanis procedunt. Et cum Dux Saxonix a Volquino Magiſtro, Rigæ honorifice,

exceptus fuisset, paucis secum diebus commorantibus, & vires quodammodo ex longa navigatione refocillantibus, obviam Barbaris cum exercitu pergunt, committentes praelium. In quo plures quam mille & quingenti cecidere ex barbara gente. Germanorum vero sexaginta duntaxat & Ordinis fratres duo. Subactis igitur Æsthonibus, Rigam revertuntur: interim Oselienses & qui inhabitabant districtum Jerven, hi minus tempestive in auxilium venientes Æsthonibus, iterum tumultuare ceperunt. Sic coacti sunt Dux Saxoniae & Volquinus Magister iterum adversus eos in campum prodire, ubi barbarorum copiosa multitudo congregata, & habuerunt conflictum, quo in praelio plurimi occubuerunt ex paganis, Christiani vero pauciores. Bis igitur cum repulsam passi essent athei Æsthones, aliquanto tempore quiescere ceperunt. Et Dux Saxoniae Adalbertus iterum in Germaniam cum suis reversus.

Revalienses vero Dani cum animadverterent, Volquinum cum Ordine suo amplificare Dominium in Livonia, quod molestum videbatur Danis, dolum excogitare ceperunt, qua ratione id impedire possent. Usi autem sunt hac arte. Miserunt ad Episcopum rigensem Adalbertum & Volquinum Magistrum Livoniae fictum quendam legatum, Pontificis nomine, qui in legatione dicebat id habere in mandatis, ut Magister Livoniae

& Episcopi abhinc Barbaros debellare cessarent. Causa autem cur Dani hac calliditate vsi sunt, hæc erat. Nam si iussu Pontificis Magister Livoniæ abstinere cogeretur ab armis, interim illi quod reliquum adhuc erat in Livonia, regno Daniæ subjungere contendebant. Verum cognita fraude legatum hunc fictitium eo honore exceperunt, ut non facile secundo legati munus obire optaret. Hinc Volquinus Magister incitatus est, ut Danis pro hac fraude arcem & civitatem revaliensem eriperet. Quod et factum est. Expulsis igitur Danis, Magister Volquinus arcem revaliensem, quæ antea lignea erat munitio, ex lapidibus ædificare cœpit, & mœnibus turribusque robustis & proceris munivit, uti nunc videre licet.

Hisce temporibus Moschi Dorpatum possidebant, quam illi sua lingua *Jurhigrod* vocabant. Hanc volentes Germani eripere Moschis, quia adjacebat Æsthooniæ, tentarunt invadere Moschos. Verum prima vice, cum parum profecissent, recedere coacti sunt. Secundo igitur Germani colligentes exercitum copiosorem, Magister Volquinus adjungendo sibi Baronem ab *Orlamunde*, qui in auxilium venerat Christianis in Livoniam, & Episcopum ab Uggenuis, tacite Dorpatum pergunt. Et cum advertissent, quod non nisi vi id expugnare possint, (quia nec dum erat civitas mœnibus cincta, sed arce lignea duntaxat &

vallo cinctâ, ) imprimis justis conditionibus arcem sibi tradi exposcunt. Verum Moschi ut antea obstinati, confidentes viribus suis, Germanos cavillari cœperunt, vnde commoti vi arcem impugnant & occupant, non tamen sine clade suorum. Hi vero qui missi erant Plešcoviâ in auxilium Moschis, intempestive venientes, cum intellexissent occupatum jam Dorpatum a Germanis, mœsti revertuntur ad suos. Acciderunt ista anno 1230.

His intellectis Æsthones Oselienses & alii districtus plures, qui defecerant iterum a Germanis & rebelles facti erant plurimum perterriti nuncios suos ad Episcopum Adalbertum & Magistrum Livoniæ miserunt, præstando eis obedientiam, captivos omnes quos penes se ex Germanis detinebant, sponte dimittentes, & censum quem per aliquot annos non solverant Germanis, in duplum pendere promiserunt. Exinde coacti sunt Æsthones domos & pagos suos ædificare & agros colere, & qui in lustris & sylvis latitabant in lucem prodierunt, quod a multo tempore intermissum fuit: qui autem ex Barbaris fideles fuerunt Germanis, hi libertatibus donati, a laboribus & tributo liberi sunt pronunciati: hinc multi in hodiernum vsque diem his privilegiis ex rustica gente gaudent.

Cum igitur pacata essent omnia in Livonia. Episcopus Hermannus cœpit Dorpatum iterum

muro cingere, & exstruxit arcem sedem episcopalem, ubi et Cathedram locavit; præfecitque Otmarum fratrem suum Ecclesiæ, quem Præpositum constituit illius loci. Sic mutavit Episcopatus uggensis nomen, & vocatus est dorpatensis. Canonici autem dorpatenses dicti sunt regulares. Hermannus ille Episcopus multa templa in suo Episcopatu vel Diœcesi exstruxit, & Monasterium splendidum *Falkena* Ordinis D. Dominici ad littus fluvii *Embeck*, quod nunc dirutum. De quo Monasterio illud referunt & quidem verisimile. Hoc Monasterium ab eodem Episcopo Hermannus exstructum, multis pagis & subditis ditatum, & ideo ad littus illius fluvii situm, ut Monachi semper bonum victum haberent ex piscibus, quorum maxima copia erat ibidem. Nam ideo fluvius ille a primis incolis locorum dictus erat *Emmajogge*, quod est interpretatum Mater Fluviorum, quia abundabat piscibus. Postquam autem crevisset numerus Religiosorum & Fratrum illius Monasterii, ita ut reditus putarent sibi non sufficere pro sustentatione, expediunt duos ex suo Collegio Fratres ad summum Pontificem cum literis, exponentes austeritatem vitæ, copiosum numerum Fratrum & tenuitatem victus, simul exprimentes quali cibo, potu & disciplinis uterentur. Pontifex intellectis literis & iusta petita, ut pro illis ad Episcopum dorpatensem intercederet,

misit primo ex Italia Monachum eorum Ordinis ad eos, ut rei veritatem intelligeret. Nam scripserant, se continuo nil nisi piscibus & pane vesci, qui dicitur illorum lingua *Igas*. \* Piscis hic est albus, oblongus, mollior, assus melior quam coctus, quia pinguis. Hujus generis piscium est ibi maxima copia. Potum referebant ex grano hordei lupulo mixtum, amarum & insipidum confici, quo uterentur, Disciplinas quoque singulis diebus sabbaticis fieri hoc modo; videlicet calefieri hypocaustum aliquod, adeo ut vix homo in seo durare posset, ibi se denudantes, scopis se cadentes, & aqua frigida perfundentes corpora sua, cum concupiscentiismortificantes. Quæ cum in Italia viderentur insveta & minus tolerabilia, ut prius diximus, ad experienda ista, missus erat italus Monachus ejusdem Ordinis. Hic cum venisset cum illis qui missi erant Romam, in Livoniam ad Monasterium prædictum, fratres istius Monasterii fingentes sibi socium gratum advenisse, hilari vultu excipiunt, torridis piscibus illum tractantes, & cerevisia absynthio mixta, qua in caloribus æstatis utebantur ob sanitatem Monachi, forti & amara. His omnibus delicatus Italus haud assvetus mirari cœpit. Cum autem sabbatum advenisset jubent balnea suo more calefieri ut plurimum,

\* Ichthyologi eos *Prafinos* sive *Bramas*, germanice *Drassem* vocant.

eo introducentes Italum fratrem, aquam infundunt in lapides candentes, calore nimio mox impleverunt balnea. Ipsi vero adsueta, nudi arripientes singuli scopas, incipiunt se cedere, aqua frigida se perfundentes. Quod cum intolerabile videretur Italo, exiliens ex balneis, pro Deum! inquit: austeram nimis hæc vestra est vitæ regula; vix audita ab hominibus. Hac relatione Italum ignarum locorum & morum gentis asperioris vitæ, Romam expediunt, qui insueta referens Pontifici, ut illi videbantur, facile impetrat, ut pro Ordine & fratribus Monasterii intercedat ad Episcopum dorpatensem, ut augetur illorum reditus. Et ut redeamus ad seriem rei, Episcopus Hermannus diu functus officio Episcopi, ipse ad extremum romanam petit urbem, unde rediens in Livoniam senectute confectus cum visu privaretur, in eodem Monasterio Falkena vitam finivit, qui vivens adhuc Alexandro Successori Episcopatum suum resignavit. Et hic fuit secundus dorpatensis Episcopus. Hisce quoque temporibus, Comes quidam Doringiæ, cum multis peregrinis in Livoniam venit, ut adversus paganos pugnaret, hic adjunxit se Magistro Livoniæ Volquino, & hyeme Ofelium secum exercitu contulerunt, ibi subjugantes Ofelenses cum illis confligere coacti sunt, ubi barbarorum bis mille trecenti succubuerunt. Hac parte victoria Volquinus cum suis in Semigaliam

pergit, ibi cum Semigalis confligens, mille sexcentos occidit, ex Germanis vero interfecti tercenti. Verum Semigali vlcifcentes suorum ciadem, denuo arma parant aduersus Volquinum, committentes proelium, in quo iterum ultra quingentos Semigalos prostrarunt, Germani ducenti perierunt. Samogitæ præterea se adiungentes Litthuanis, copiosum colligentes exercitum aduersus Magistrum Livoniæ, eum in certamen provocant. Qui suas quoque copias instruens, adhibito Comite illo Duringiæ fortiter vtrinque decertatum est, ita vt ad bis mille ceciderint Litthuanorum cum Samogitis, Germanorum DC. In qua victoria etiam ingentem prædam equorum nacti sunt Germani. His peractis Comes Duringiæ cum suis qui adhuc superstites, iterum in Germaniam tendunt.

ANNO 1238 venit Baro quidam *von Dannenberch* in Livoniam, cum celebri quodam Nobili Germaniæ *Johanne Haseldorf*; habentes secum magnum comitatum Peregrinantium, ea intentione vti priores. Magister vero Livoniæ Volquinus adiungendo se iis, exercitum quantum poterat maximum colligens, pergit debellare Samogitas, qui etiam cum in armis essent, obviam procedunt infestis signis Magistro, vbi vtrinque decertatum est fortiter. Verum Germani profligati, pauci effugerunt. Quo in conflictu Magister Livoniæ & Baro prædictus, cum XLVIII Fratibus

**Fratribus Ordinis Ensiferorum occubuerunt. Hic Magister præfuit suo Ordini annis quindecim, multis perpetratis facinoribus heroicis.**

Nec illud silentio involvendum: prædictus Magister Livoniæ Volquinus, cum adhuc in vivis esset, elaborabat apud Magistrum Prussiæ Hermannum a Salza, Ordinis Teutonici Superiorem, ut Ordo Ensiferorum qui in Livoniam missus erat ab Innocentio III Pontifice, ad propagandam Christi fidem in barbara natione, reciperetur in Ordinem Fratrum Teutonicorum. Verum ob difficultates quas Ordo Ensiferorum habebat cum Rege Daniæ, nec cito nec facile id Volquinus impetrare poterat. Verum compositis rebus inter Regem Daniæ & Ordinem, tandem acquievit petitis Magistri Prussiæ, qui Ordinem prædictum Ensiferorum in Ordinem suorum Fratrum Teutonicorum recepit, approbante id ipsum Gregorio IX Pontifice. Eodem plane anno cum Volquinus a Samogitis in prælio occisus, sic igitur Dominium Ordinis Ensiferorum in Dominium Teutonicorum mutatum credimus. Quo igitur cessante, cum aliud Dominium sit subsecutum: nos quoque primam Historiæ nostræ partem concludendam statuimus.

# PARS ALTERA LIVONIÆ HISTORIÆ.

**P**OSTQUAM igitur Volquinus Magister Livoniæ a Magistro Prussiæ impetrasset, ut Ensiferorum Ordo reciperetur in Ordinem Fratrum Teutonicorum, annuente summo Pontifice uti superius relatam est, quamvis ipse Volquinus optati sui compos fieri non poterat, quia immatura morte in conflictu, ex hac vita ereptus: assignatur loco illius alter Livoniæ Magister Ordinis Teutonici a Magistro Prussiæ, *Hermannus Falco*, qui septennium in Prussia *Lant* Magistri officio functus.

## I. LIVONIÆ MAGISTER O. TEUTONICI HERMANNUS FALCO.

ANNO 1239 primus Ordinis Teutonici Magister in Livonia constituitur, Hermannus cognominatus Falco, ob insignes animi generosi dotes & facta fortia, cur etiam Imperatori Friderico II, & Gregorio IX, Pontifici Maximo acceptus fuit: qui statim initio ejus regiminis, legatos suos ad illum expediverunt, qui controversiam inter Ordinem Ensiferorum & Regem Daniæ exortam, ratione Revaliæ civitatis & arcis, quam Volquinus Danis ob dolum excogitatum contra Ordinem eripuerat, componerent. Hic Magister vna cum Ordine etiam habitum Ensiferorum mutavit in habitum *Crucigerorum*, alias dicti

Fratres Teutonici, quorum vestitus erat ruber alba cruce insignitus: id præ se ferens Mysterii, quod nimirum pro fide Christi cum inimicis sanctæ Crucis non modo pugnare, verum etiam vitam & sanguinem profunderere parati essent.

Hujus Magistri temporibus, per legatos Pontificis atque Imperatoris, (vti superius insinuavimus) justis conditionibus initis, Ordo cessit Regi Daniæ Revaliam. Cujus loco Rex Daniæ, Ordini iterum perpetuis temporibus cessit totum districtum Jervensem. Præterea exercitum Ordini in auxilium misit adversus infideles. Quo cum exercitu Magister Livoniæ suos quoque milites adjungendo magna vi Episcopo dorpatensi suppeticas ferre non distulit, qui a Moschis sæpius lacesitus propter arcem dorpatensem ipsis ereptam per eundem Episcopum Hermannum. Idcirco exercitum Magister & Episcopus Hermannus uterque in Moscoviam parant: primo tendit sub Iseborch, ubi cum Russis vel Moschis confligit, quo in prælio plurimi cæsi Moschi, cæteri in fugam acti. Deinde obtenta victoria, obsidione cingunt Plefcoviam, quam armata manu volentes Germani oppugnare, Russi inducias petunt, deditionem civitatis promittentes, quam denique Principis *Gerpolti* consensu Magistro cedere coacti sunt. Qua obtenta, Magister arcem & civitatem Plefcov bene præfidiis munivit. Inde lætus cum suis in Livoniam revertitur. Verum

non multo post Alexander Dux Novogrodenſis, iterum civitatem & arcem Pleſcov, Germanis eripuit, vbi ſane plurimi cæſi ex Germanis & plures ſeptuaginta Fratres Ordinis periere. Sex autem capti & martyrio affecti ſunt. Factum id anno 1244: ſequenti autem anno, Magiſter Hermannus Falco cum annis ſex, ſuo præſuiſſet Ordini, ex hac vita migravit.

## II. LIVONIÆ MAGISTER

### HENRICUS AB HEIMBORCH.

ANNO 1245 miſſus eſt Magiſter Henricus in Livoniam a Magiſtro Pruſſiæ, qui & Pruſſiæ & Livoniæ Superior erat in Ordine Fratrum Teutonicorum ſive Crucigerorum. Hic cum valetudinarius eſſet, duobus ſaltem annis rexit Ordinem, deinde vt ab onere impoſito ſibi, liberaretur precibus impetravit. Hujus Magiſtri tempore, Nicolaus IV rigenſis Epiſcopus conſtitutus eſt, qui Rigæ Monafterium extruxit Ordinis D. Bernhardi, quod Rigenſes modo in granarium commutarunt.

## III. LIVONIÆ MAGISTER

### THEODORICUS A GRONINGEN.

ANNO 1247 eſt in locum Henrici, a Magiſtro Pruſſiæ ſubſtitutus Theodoricus a Gröningen, qui magnum colligens exercitum, Curetes debellavit, ibi dictius commoratus tres arces extruxit

Goldingen, Window & Amboten, quas præfidiis munivit: jubet tamen inter Barbaros Curetes promulgare, qui baptizari vellet & obedientiam præstare Ordini, pendereque annuatim censum, is possit in quiete degere: qui vero rebellis esse velit, plectendus esset. Verum inviti Curetes ad baptismum venire compulsi, idcirco & eorum plurimi, & Germanorum non pauci perierunt. Cæteri vero qui neque minis neque precibus adduci poterant ad Christianismum, hi se ad Ducem Litthuanix nomine Mindow contulerunt, petentes ut illis patrocinari vellet & tueri ab Ordine teutonico & Germanis. Dux Litthuanix Mindow, Curetum precibus permotus, ingentem coegit Barbarorum multitudinem, pergitque in Curlandiam sub Amboten, cujus cum adventum & exercitum exploratum haberet Magister, ille cum suo Landtmarchalco & milite in sylvis latitabat. Verum Litthuani invadere volentes arcem Amboten, cum de Germanis a tergo nescirent, in fugam conversi cum Duce suo, qua in fuga plures quam 1500 periere, ex Ordinis Fratribus quatuor, & decem alii. Sic obtentis arcibus suis, Magister Livonix, cum triennium rexisset Ordinem suum: ipse pertæsus regiminis sui, petiit se ab illo liberari, qui postea a Magistro Prussix missus est in legatione ad summum Pontificem, in negotiis Ordinis teutonici.

---



---

IV. MAGISTER LIVONIÆ  
ANDREAS A STUCKLANT.

ANNO 1250 successit in Magisterium Ordinis teutonici, Andreas a Stuckland. Vir erga omnes **beneficus & sincerus**. Contra quem se Samo- gitæ cum Semigalis & Litthuanis armant, eo animo, vt omnino Ordinem teutonicum ex Li- vonia exturbarent. Verum prædictus Magister Andreas cum Ordine suo & exercitu illis obviam procedit, cum illis confligit, plurimos interfe- cit, non paucos captivos duxit, eorum regionem depopulavit & ad arcem vsque vbi ipse Dux Min- dow residebat perrexit. Inde reversus Rigam cum triumpho, lætus a suis excipitur, prædam & spolia inter suos milites dispertitur. His præ- stitis Semigalos quoque humiliavit, devastando omnia, ingenti iterum cum præda ad suos rever- titur. Tum primo sapere cœperunt Semigali, miserunt suos ad Magistrum, obedientiam præ- stantes, promittentes tributum vti & cœteræ gen- tes ab illis subactæ. Fama hac Dux Litthuanæ Mindow quodammodo perculsus, petiit per in- ternuncios vt illi liceret coram agere cum Ma- gistro Livoniæ, qui consultis Fratribus Ordinis sui, locum & tempus certum colloquii determi- navit; vbi vterque magno cum comitatu adveni- ens, hilari fronte se invicem exceperunt, amice multa secum conferentes. Dux vero splendide

instructis epulis Magistrum cum suis invitat, qui benevolentiam expertus Principis, inter epulas agere cœpit, & persuadere Duci vt Christianismum amplecterentur, a quo, rationibus aliquomodo Princeps persuasus, non adeo alienum hac in re animum Magistro exposuit: hac tamen lege, vt Magister Litthuanix Duci a summo Pontifice impetrare vellet, vt ejus cum consensu in regem vngeretur. Quod se omnibus modis curaturum Magister Livonix pollicitus, rebus sic inter se stabilitis, quilibet ad propria se recepit. Reversus Rigam Magister, mox legatos in præsentî negotio ad summum expedivit Pontificem. Cui cum res innotuit, acceptæ occasione gratus Pontifex eidem Magistro licentiam dedit, vt adhibito Episcopo rigensi, cœterisque propinqvioribus, Ducem Litthuanix Mindow, præmissis baptisinate, regem inaugurari curaret. Itaque Magister Andreas, cum Episcopo rigensi Alberto ejus nominis secundo qui Canonicus ante erat brementis & Administrator Episcopatus lubecensis: collatis secum impensis, diadema regium satis pretiosum, pro Coronatione Regis futuri fieri curarunt. Adjungentes itaque sibi adhuc Henricum Episcopum culmensem & dorpatensem, magnumque Nobilium Livonix comitatum, in Litthuaniam ad prædictum Principem perrexerunt. A quo Magister & Antistes cum suis non minus hilari-  
 ter quam honorifice excepti, accitis ad hunc

festum diem quam plurimi Litthuaniz gentis Nobilibus, quo Dux Mindow rex erat inaugurandus. Ad quem cum magna hominum multitudo tanquam ad recens spectaculum undique confluxisset, ita ut nullum palatium eam capere potuisset; Solium in amœno campo, die serena, regia majestate dignum extruitur. Episcopus rigensis qui ad hoc opus peragendum singulariter a summo Pontifice designatus, Regi futuro summi Pontificis animum erga Principem benevolum exponit, qui absque mora petitis illius annuens, eum libenter primo in gremium sanctæ Matris Ecclesiæ recipere, ac deinceps regali sceptro & diademate ornare non est gravatus. Idcirco efflagitare ab eodem Rege, ut sicuti per Christi nomen imperio potiretur abhinc regio, ita regem quoque paratum fore ut Christi imperium quoque omni studio promovere, & fidem ejus in sua natione propagare elaboraret.

His præmissis cum Princeps monitis obtemperare non recusaret: primo baptismatis lavacro initiatur vna cum conjugē, ac deinde regia donantur corona, non sine magna Litthavæ gentis admiratione & consolatione. Quorum exemplo etiam aulici Regis, & plurimi alii ex Plebejis & Nobilibus incitati, eodem die ultra sexcenti baptizati censentur. Sic Regis studio abhinc Christi fides in Litthuania vigere cœpit annum circiter 1255.

**Hujus** Magistri temporibus Episcopus rigensis Adalbertus ordine quintus ejus vero nominis secundus, a summo Pontifice, Archiepiscopi titulo donatus est. Sub quo Episcopatus rigensis in Archiepiscopatum commutatus, qui Primas erat inter Episcopos Prussiae & Livoniae, sicuti Magister Prussiae praeminebat in suo Ordine Magistro Livoniae. Magister vero A. a Stucklant, postquam annis 6 Ordini suo non sine laude praefuisset Magisterium resignavit conferens se in Germaniam paulo post obiit.

#### V. LIVONIAE MAGISTER.

##### EBERHARDUS BARO SEYNENSIS.

**ANNO** 1256 Eberhardus in Magisterio successit, ut fama de illo fertur plane probus. Hic a Livoniensibus magno cum applausu excipitur, qui statim initio sui Domini arma parat adversus Samogitas, eorum provinciam igne & gladio depopulatur, caesis quam plurimis. Pari modo Curetes rebelles ad obediendum aegit. Sic Rigam reversus cum laude ab illis excipitur honorifice. Is duobus duntaxat annis cum rexisset Ordinem, aeger jam in Germaniam reducitur; ubi cum Praedecessore suo vitam finiit in patria.

#### VI. LIVONIAE MAGISTER

##### HANNO A SANGERHAUSEN.

**ANNO** 1258 Magister Prussiae Poppus nomine, praefecit Ordini Teutonicorum in Livonia

**Hannonem.** Hic quoque aliquoties cum Semigalis & Samogitis confli- gens, plurimos prostravit. Is tertio Magisterii sui anno, ex Livonia in Prussiam vocatus, ibique Magistrum egit Ordinis sui.

## VII. MAGISTER LIVONIÆ

### BORCHARDUS A HORNHAUSEN.

ANNO 1261 in locum Hannonis sufficitur Borchardus. Qui revidendo arces in Curlandia, cum non procul eilet a finibus Prussiæ, Barbari per exploratores suos de adventu Magistri inaudientes, & quod saltem quadraginta secum haberet Ordinis sui Fratres cum D. equitibus in sylvis latitantes: clam illum cum suo milite interficere statuerunt. Magister fraudem advertens, minime perterritus, cum Barbaris confligit & profudit non sine magna Atheorum clade. Ex Magistri vero militibus præter duodecim non sunt cæsi. Ipse vero Magister nactò vulnere, cum suis ad arcem Memel fugit, vbi a vulnere sanus iterum Rigam revertitur, & de novo injuriam illatam a Samogitis sibi, vlcisci meditatatur. Samogitæ vero, biennii inducias mediante Archiepiscopo Rigenfi impetrarunt. Interim Magister cum aliis circumjacentibus Barbaris præliatur.

Exacto autem induciarum tempore cum Samogitis, novum bellum oritur cum Litthuânis & Samogitis, qui cum adversus Ordinem

insurrexissent, & utraque ex parte fortiter dimicassent, ad extremum Magister cum suo Ordine & milite profligatur, quo in prælio saltem ex Ordine ipso triginta tres Fratres occubuerunt, cæteri vero mille quingenti. Quam ignominiam nequaquam ferre volens Magister, novum militem ex Germania conscribit, provocando Samogitas ad prælium: Verum pertimescentes potentiam Magistri, non ausi sunt configere. Itaque in Semigaliam pergens Magister cum exercitu arcem ibi extruit Doblen, quam præsidiis & milite bene munitam relinquens revertitur ad sedem. Ad extremum tamen cum Magister sæpius laessitus est & a Litthuanis & Samogitis, tandem secum conspirantibus Litthuanis Samogitis Ruthenis & Semgalis, qui omnes Ordinem cum Magistro ex Livonia exturbare moliebantur, Dorpati sub vrbe cum exercitu cæditur & profligatur anno 1264. Vbi etiam Mareschalcus Prussiæ periit cum centum quinquaginta Fratribus Ordinis & plurimis Nobilibus. Capti vero ex Ordine teutonico Fratres XIII, qui a Barbaris martyrio affecti sunt. Tum temporis etiam duas arces in Semgalia Kerfouw & Dobblen Samogitæ cum Litthuanis occuparunt.

#### VIII. MAGISTER LIVONIÆ

#### GEORGIUS AB EICHSTAT

EODEM anno quo Magister Borchardus in prælio occubuit, postquam per triennium & sex

mensibus Magisterio suo functus fuisset, sufficitur *Georgius, ab Eichstat* Commendator sigwoldensis, qui etiam defuncti Borchardi Coadjutor fuerat, in Magisterii officio obeundo. Is Prædecessoris sui cladem vindicare volens, ferme in eundem impigisset scopulum, eam ob causam igitur invitus pacis condiciones cum Litthuanis inire coactus. Interim dum Magister cum Litthuanis de pace ineunda sollicitus, *Oselienses* iterum deficiunt ab Ordine, & rebellionem moliuntur, quos idem Magister prælio superavit sub sylva *Carmeli*, in quo plurimi a Barbaris cæsi & sic iterum in ordinem redacti. Hujus Magistri tempore Christiani in Livonia magnis in periculis constituti, multum periclitabantur.

## IX. LIVONIÆ MAGISTER

### WERNERUS A BREITHAUSEN.

Post obitum Georgii successit in Magisterio Ordinis teutonici, *Wernerus von Breithausen*. Hic cum Rege Litthuaniz *Mindow*, qui a fide christiana apostaverat, & cum Principe Samogitiz *Tramoto* & Duce Russiz qui omnes conspiraverant, ut Germanos expugnarent in Livonia, multum difficultatis habuit. Nam Rex *Mindow* omnium primo cum suis copiis Livoniam adortur. Circa *Wendam* castra metatur: qui cum socios suos, utputa Principem Samogitiz & Russiz Ducem non reperisset, coactus est cum

**exercitu suo recedere in Litthuaniam, non sine magna devastatione Livoniæ. Post cujus discessum, Russiæ Dux cum suo exercitu Dorpatum oppugnat, civitatem occupat, & cum ob munitionis firmitatem arcem expugnare non posset, & Magister Livoniæ iis qui in arce erant suppetias ferre non distulisset, exusta civitate coactus est Dux Russiæ cum suis recedere, qui totum districtum dorpatensem depopulatus ad propria se recipit. Verum Magister cum exercitu subsequutus vsque in Russiam: ibi pari modo facit, uti Dux in Livonia processerat. Ibi adversa valetudine afflictus Magister æger ex Russia cum suis in Livoniam revertitur. Interim autem cum hæc in Russia aguntur, *Tramatus* Princeps Samogitiæ, districtum pernaviensem depopulatur & expoliat. Verum in reditu Magister cum Ordinis sui Fratibus & milite, intercludentes viam circa Dunemundam, nocturno tempore in plenilunio, cum lumen Lunæ illis inferviret, prælium commiserunt: ex quo Princeps cum paucis evasit, & ad Regem Mindow confugit. Idem Magister etiam rebelles Curetes iterum subegit, & arces eorum expugnavit & exussit, magnam inde referens prædam. Itaque postquam biennio præfuisset Magisterio, officium suum *Conrado von Mandern* resignavit, & in Germaniam profectus: ibi quietem elegit post tot labores exantlatos.**

---

X MAGISTER LIVONIÆ  
CONRADUS VON MANDERN.

ANNO 1269 adeptus est Magisterium Ordinis teutonici in Livonia Conradus von Mandern, qui extruxit in Æstthonia *album Lapidem* & in Curlandia *Mitoviam*. Hujus Magistri tempore interfectus est a Palatino quodam Litthuaniz, Rex Mindow, suæ apostasiæ pœnas luens. Hic Magister quoque laceffitus a Russis Samogitis & Curetibus, & sæpius cum illis confligens vno prælio DC perdidit cum XXX Fratribus Ordinis sui. Hic ob senectutem post triennii regimen resignare Magisterium coactus, etiam in Germaniam proficiscitur.

XI MAGISTER LIVONIÆ  
OTHO VON RODENSTEIN.

ANNO 1272 succedit in Ordine Magistrorum Livoniæ Otho von Rodenstein. Hic cum Russis bella gerens, cum præter opinionem Princeps cum copiosiori exercitu Magistrum adortur, Magister videns nullam tribui spem effugii, fortiter cum suis dimicans, quinque millia Russorum prostravit, & cæteros in fugam egit. Hoc in prælio Episcopus dorpatensis cum plurimis occubuit aliis. Hac parta victoria, Magister Livoniæ colligens copiosum exercitum, & cum octodecim millibus terra marique in Russiam pergat,

depopulando obvia quæque: arcem Isborch expugnat & occupat; deinceps Pleskoviam obsidet. Postremo per contractum Principum Moscoviæ & Novogardiæ ad pacis fœdera ineunda Magister allectus, sic rediens in Livoniam isto anno in quiete residet. Seqventi vero anno coactus est iterum adversus Samogitas & Semigalos arma sumere, qui hyeme Oselienses invaserant & expoliarant. Itaque Magister Otho & Sigfridus Capitaneus revaliensis Regis Daniæ & Fridericus Episcopus dorpatensis cum Hermanno Episcopo lealensi, cito se expedientes, cum exercitu obviam processerunt hostibus, & cum utraque pars in glacie se offendisset commissum est prælium non sine magna utriusque partis clade. Quo in prælio ipse Magister Livoniæ occubuit, cum quinquaginta duobus Ordinis sui Fratribus & sexcentis militibus. Episcopus vero lealensis graviter vulneratus vix evasit manus hostium. Sic Litthuani & Samogitæ victoriam obtinentes magna absportantes spolia ex prælio, læti ad sese recipiunt. Facta anno 1274.

## XI. LIVONIÆ MAGISTER

### ANDREAS WESTPHALUS.

ANNO prædicto, adhuc æstuante bello cum Litthuanis post obitum Othonis, electus est Andreas, qui inchoatum bellum cum Litthuanis & Samogitis finire statuens, & priorum cladem

vindicans, eodem anno cum viginti Ordinis Fratribus, a Litthuanis in prælio interficitur. Cujus tempore, secundus Archiepiscopus rigensis, Johannes von Lünen Archiepiscopatum adeptus.

XIII LIVONIÆ MAGISTER  
GUALTERUS VON NORDECK.

ANNO 1275 adeptus est Magisterium Gualterus von Nordeck qui multa præclara adversus Samogitas & Semigalos præstitit, sæpius reportando victoriam, duas arces Barbarorum Tarweyten & Meyfoten expugnavit & ad fundamenta vsque diruit. Hic Semigalos ad obedientiam adegit. Hic quoque triennio saltem præfuit Magisterio, officium suum resignavit & in Prussiam profectus obiit.

XIV LIVONIÆ MAGISTER  
ERNESTUS VON RASSBURCH.

ANNO 1278 adoptatus est in Magisterium Ernestus. Is arcem Duneburg in finibus Russiæ & Litthuanix ad ripam Dunæ extruit. Quod ægerime ferentes finitimi, omni studio opus inceptum impedire statuentes. Verum Magister copiosum colligens exercitum, cui quoque in auxilium venerat Capitaneus revaliensis Eberhardus cum suis, in Litthuaniam perrexerunt, vbi trucidando & depopulando multa vastavit & ingentem prædam abegit. Verum Litthuani mox arripientes  
arma

arma, Magistrum insecuti, & cum sub Ascherot offendissent Germanos, cum copiosior esset Lithuanorum exercitus, Magister confligens cum hostibus victus occubuit, & septuaginta vnum ex Fratibus Ordinis sui perdidit, multis Nobilibus interfectis. Quo in conflictu Litthuani vexillum deiparæ Virginis Patronæ nimirum Livoniæ adepti sunt, & vexilliferum *Henricum von Tiesenhansen* occiderunt. Capitaneus autem revaliensis dispersum colligens exercitum, hostes iterum aggreditur: is vulnere nacto & occiso sub illo eqvo, vix vivus evasit. Factum in Qadragesima anno 1279.

## XV. LIVONIÆ MAGISTER

### CONRADUS VON FUCHTEWANGEN.

ANNO 1279 electus est ad officium Magistrerii *Conradus von Fuchtewangen*, ex illustri oriundus familia, qui antea Lantmagistrum egit in Prussia, & utroque functus officio simul. Is toto sui regiminis tempore in armis degebat, & multa prælia gessit cum Samogitis & Semigalis, ut postquam triennio in Livonia functus est officio Magistri, ad extremum vocatus in Prussiam, aulæ Magister creatus, & sic vnus & idem, tria præclara munia obire dignus habitus.

**XVI. LIVONIÆ MAGISTER**  
**WILHELMUS VON SURBORCH.**

ANNO 1281 *Guilhelmus a Surborch* alias dictus *von Endorffen* suscepit munus Magisterii, qui Felini ab Ordinis sui fratribus unanimi consensu ad hoc electus. Hic pariter uti Prædecessores ejus cum Litthuanis Samogitis & Semigalis multa bella gessit, & Ducem belli eorum in prælio occidit. Is montem qui facer appellatur in Curlandia erexit, & tres arces Wolmariam Burtikum & Tricatum extruxit. Wendæ quoque ecclesiam parochialem quæ modo est cathedralis Episcopi wendensis, divo Johanni Baptistæ sacravit & fundavit. Postremo etiam in Semigalia cum triginta tribus fratribus in prælio occubuit, & sexdecim capti: quorum aliqui nudi in eqvis ligati, fustibus a Barbaris interfecti; aliqui in ligneis cratibus ligati, super ignem affati & combusti animam exhalarunt. Hic Magister per quinquennium & quinque mensibus regnasse fertur.

**XVII LIVONIÆ MAGISTER**  
**CONRADUS VON HERZOGENSTEIN.**

ANNO 1287 susceptus est in Ordinem Magistrorum Livoniæ *Conradus von Herzogenstein*, qui Prædecessoris sui necem vindicare statuens, multa prælia cum rebellibus Semigalis commisit, qui arcem Doblen eripuit Barbaris, quam sub

Borchardo Hornhausen Semigali occuparant. Insupermunitiones Barbarorum in Semigalia, Ratten & Sidroben exussit & dirui jussit. Quo facto Semigali humiliati, iterumque in ordinem redacti sunt. Vixit in Magisterio annis duobus.

### XVIII LIVONIÆ MAGISTER

BOLTO VON HOGENBACH.

ANNO 1289 subsecutus est Conradum in Magisterio *Bolto von Hogenbach*, cum Livonia a finitimis nationibus pacatior esset. Tum nescio quæ æmulationes & intestina odia inter Episcopos Livoniæ & Ordinem exorta, secum bella gerere cœperunt; quæ non finiendo Magister obiit postquam præfuisset Ordini suo annis quinque.

### XIX. LIVONIÆ MAGISTER

HENRICUS A DUMPSHAGEN

ANNO 1294 successit Boltoni, *Henr. a Dumps-hagen*, qui pacem iniverat cum Episcopo derpatensi Bernhardo, quam Episcopi mox violantes, nova ac minus vtilia bella inter se excitarunt. Is biennio solum præfuit Ordini, fractusque dolore moritur.

### XX LIVONIÆ MAGISTER

B R U N O .

ANNO 1296 iisdem in tumultibus eligitur Bruno Magister Livoniæ, cum magna discordia

orta fuisset inter Ordinem teutonicum & Archiepiscopum rigensem Johannem a Fechten, qui sibi conciliando finitimas gentes, vtputa Litthuanos cum Samogitis, Magistro & Ordini ejus bellum indixerunt. Cum igitur vtrinque parati essent ad prælium, sub arce Treiden in latissimo campo congregiuntur & confligunt; quo in conflictu Magister Bruno cum sexaginta fratribus occubuit. Sic parta victoria Archiepiscopus rigensis cum complicibus suis *Novam Molam* obsident, quæ spectabat ad Magistrum Livoniæ. Inde vero repulsam passi qui adhærebant Archiepiscopo, ultra quadringentos periere Rigensium: quorum alii interfecti, alii vero aquis se ipsos immergentes suffocati sunt. Sic recentem victoriam mox luctus subsequitur. Contigerunt ista anno 1298,

## XXI. LIVONIÆ MAGISTER

### G O T T F R I D U S.

ANNO 1298 nec dum consopito bello inter Ordinem teutonicum & Archiepiscopum rigensem Gottfridus a fratribus sui Ordinis in Magistrum eligitur, qui ab externis hostibus quietus, ab iis qui domi sunt laceffitus, adeo ægre intestinum hoc bellum inter eos dirimi poterat: quo durante per octennium tædio affectus Magister Gottfridus in ærore magis quam morbo extingvitur anno 1307.

## XXII. LIVONIÆ MAGISTER.

## CONRADUS A JOKE.

ANNO 1307 *Conradus von Joke* meliori omine eligitur in Magistrum, qui rebus compositis cum Archiepiscopo & Ordine copiosum colligens exercitum, tam domi quam aliunde conscribens militem: cui etiam ex Prussia in auxilium missi fuerant duo millia, quorum Capitaneus fuit Vir in militari disciplina exercitatus *Kesselholtz*. Tanto cum exercitu prædictus Magister pergit in Russiam, metropolim Plescoviam obsidet, expugnat, expoliat. Sic Rutheni ad pacis conditiones ineundas adacti sunt. Is quoque in Semigalia arcem extruxit *Mesoten* anno 1315. Id tantum lamentatione dignum accidit hujus Magistri tempore, quod Livonia adeo dira fame premebatur & aliæ finitimæ gentes, ut propter intolerabilem bulimiam & caninam ut ajunt orexim, parentes liberos suos mactare & vorare coacti sint. Alii vero non ferentes filiorum suorum lacrymas & miseriam, ne diutina fame torquerentur, ex compassione liberos suos in ferventissimis balneis inclusos fumo potius quam fame enecare mauerunt, ne lamentabiles eorum ejulatus audirent viderentque interitum. Etiam et illud memoratu dignum quod durante fame illa adolescens quidam parentem suum occiderat, ut ex illo vesceretur, vitamque protraheret miserabilem; qui captus in

facto mulctatur: & sic qui fame nec tum extinctus, per manus carnificis vita privatur. Vtrumque miserandum. Vbi vero in furcis, recens aliquis fuerat suspensus, hunc abscissum a gabalo propter famem edere, satiarique stomachum qui auribus caret, compulsi sunt. Duravit hæc fames integro triennio, eo quod frumenta propter frequentes pruinas & frigora maturefcere haud poterant. Inter hunc Magistrum & Episcopum Oseliensem ortum fuerat quoque bellum, quo in bello Magister Episcopo Oseliensi arces illas quæ ad ejus spectabant Episcopatum, Hapsel Lode Leal ademit. Hæc lis ad extremum per *Isarnum* Archiepiscopum rigensem diremta est, & sic prædictæ arces restitutæ sunt Episcopo Oseliensi. *Isarnus* autem qui oriundus ex Dania, videns minus pacatam provinciam, resignans Archiepiscopatum suum *Fridenico*, Bohemiæ Baroni, in Daniam reversus: vbi post Archiepiscopus Lundix factus, ibidem moritur. Hic Magister Conradus omnes Magistros Livoniæ prædecessores suos in regiminis sui Dominio superavit. Viginti namque annis vixit in Magisterii officio, multaque præclara præstitit, qui tandem senio confectus in Livonia diem suum obiit.

XXIII. LIVONIÆ MAGISTER  
EVERHARDUS A MONHEIM.

ANNO 1327 Everhardus a Monheim suscepit munus Magisterii, qui antea functus Commen-

datoris officio Felini: Vir probus & severus, ad hæc etiam Livoniæ amator, qui multa præclara præstitit. Inter cætera autem illud memorabile egit, quod cum Rigenses rebellionem molirentur Magistro & Ordini, volentes frui libertatibus propriis, ea igitur spe inducti Rigenses, arcem Dunamundam obsidere & expugnare statuerunt: quod cum illis pro votis non cessisset, illi exulto suburbio recesserunt. Verum Magister effrenos rigenses hoc pacto humiliavit, cingens obsidione civitatem, vndique intercludendo vias, ne comitatum haberent & annonam. Qua pressi inedia, coacti sunt per intercessionem Archiepiscopi pacem petere & gratiam quærere Magistri, ad quam ineundam Magister jam exacerbatus non facile induci poterat. Tandem post multas intercessionones, & humiliatione Rigensium quodammodo placatus, hac conditione fœdus inivit, vt Rigenses privilegia suæ civitatis Magistro traderent, & se faterentur abhinc subditos Magistri, vt præterea portas & mœnia civitatis demolirentur, ne in posterum haberent in quo confiderent. His similibusque modis effrenatam Rigensium superbiam perdomuit. Et vt Rigenses continentiores essent, cœpit arcem extruere penes civitatem, vnde domari possent mœnibus, & proceris turribus bene munitam. Acta sunt ista anno 1330. Dirempta igitur lite cum Rigensibus, novum Magister conscribens militem, in *Satatis* Russiæ Regis

---

ditiones perrexit: ibi gladio & igne obvia quæque depopulando, eam quippe ob causam quod Russiæ Rex cum Litthuanis adversus Magistrum Prussicæ conspirarant. Hinc ortum erat iterum bellum cum Litthuanis, Magister vero colligens exercitum, hosti procedit obviam, committentes prælium. Verum Magister cum suis obtenta victoria, Regem Litthuanorum faucium vulnere in fugam egit, cum illis qui adhuc erant superstites. Propulsis itaque hostibus, Magister eodem cum exercitu pergit in Samogitiam, quos pari modo uti Ruthenos visitat. Sed Samogitæ ingenti hoc prælio perculsi, pacem petierunt, & sic inter Magistrum & Litthuanos cum Samogitis pacis fœdera sunt stabilita.

Compositis igitur rebus cum Litthuanis & Samogitis, Moschi iterum insurgunt adversus Magistrum & Ordinem. Quare Magister armata manu cum Comite quodam ab Arensborch hostibus obviam procedit hyemali tempore, quo adeo feruntur fuisse intentia frigora, ut plurimi ex utraque parte frigoribus exhausti, sedentes in equis animam exhalaverint. Quapropter infectis rebus utraque pars non commisso prælio, recedere coacta est. Hic Magister multas arces & munitiones in Livonia ædificavit, cujus regiminis tempore Livoniæ multum accessit emolumenti, qui annis quatuordecim magna cum laude Ordini suo præfuit, & cum premeretur senectute, pertæsus

jam bellorum, pacem eligens, resignavit officium suum alteri, ipse vero Coloniam profectus, religiosam amplexus vitam, in cœnobio moritur apud D. Catharinam.

XXIV MAGISTER LIVONIÆ  
BORCHARDUS A DREYLEVEN.

ANNO 1341 susceptus est ad munus Magisterii obeundum Borchardus, cujus tempore Æsthones rebellionem molientes; vna eademque nocte mille octingentos Germanos nobiles promiscui sexus & ætatis, etiam parvulis non parcendo trucidarunt. Reliqui quibus dabatur effugii locus, nudis pedibus per sylvas & paludes Revaliam fugiebant. Quanto in periculo tum fuere Germani, facile conjicitur. Hi etiam claustris & monasteriis non parcentes viginti octo monachos in cœnobio Padis interfecerunt. Videntes igitur licere sibi tam impune grassari, colligentes ingentem Barbarorum colluviem ad decem millia, inter se Ducem belli statuentes, Revaliam obsident. Pari modo rustici in districtu Wike procedunt, qui Episcopum suum cum Canonicis & multis Nobilibus, in arce Hapsel longa & molesta obsidione premunt. Eadem æstate 1343 Oselienses rustici, Germanos omnes cum Advocato & conventu Ordinis igne & gladio extinxerunt, ita vt nullus eorum in vivis remanserit.

Illi vero qui Revaliam obsidebant, mittunt

legatos suos in Finlandiam ad Episcopum in Abo & Wyborch petentes ab illo supplicias, promittentes ei urbem Revaliam dedere. Verum Capitaneus revaliensis interim quoque Magistrum supplicat Livoniæ, ut illi in auxilium properet: qui commiseratione interfectorum atque eorum qui obsidione tenebantur, inductus: exercitum colligere non distulit. Indomita igitur Barbaries, cum de adventu Magistri inaudisset, mittunt ad Magistrum legatos, ut eos suerent, promittentes ei tributum potius quam Danis. Verum Magister non confidens perversis, etiam dolens interitum tot innocentium, qui per illos perierant, induci non poterat, ut non vindicaret necem occisorum. Itaque confligens cum illis sub Revalia, omnes ferme occidit. Hac parte victoria quodammodo superstites adhuc Nobiles animum receperunt.

His peractis Magister Hapselium cum exercitu properat, Episcopum ibidem cum cæteris obsidione liberare. Quod cum intellexissent Æsthones, Magistrum adventare, timentes de corio suo, latebras quæerunt & ad sylvas proripiunt. Sic Episcopus Hapselensis cum suis Canonicis atque Nobilibus, ab obsidione liberatus, Magistro gratias agit. Reliqua autem Barbaries, cum intellexisset, ita cessisse illis qui sub Revalia fuerunt, dolentes suorum interitum, cum ipsi vindicare necem eorum nequeunt, Moscoviæ Ducem inci-

tant, ut ille eorum cladem vlcisceretur, ei promittentes obedientiam & tributum, quibus allectus Molchus, in districtum derpatensem insperate irrumpit. Quod cum advertisset Episcopus ibidem cito se ad prælium cum suis instaurat, Moschos adoritur sub Odenpe, vbi ultra mille cæduntur. Moschi ceteri in fugam acti, trepide se ad propria recipiunt.

Hæc omnia cum in æstate contigissent, Magister Borchardus hyeme pergit cum exercitu Oselium, ibi quoque vlciscendo eorum necem, qui a rusticis oseliensibus interfecti. Itaque cum eo pervenisset, pari modo cum illis procedit, ut illi prius cum Germanis fecerant. Interfectis igitur novem millibus Barbarorum, reliqui misericordiam petentes, gravibus conditionibus pacem impetrarunt. Arma vero sua omnia coacti sunt tradere Germanis, & pro pœnitentia ædificare arcem eadem in insula, dictam Soneburg.

Dum ergo Magister circa Oselienses occupatur, interim Litthuani absente Magistro irruptionem fecerunt in Semigaliam, vbi per proditionem occuparunt arcem Tarweiten, in qua septem fratres Ordinis cum cœteris Nobilibus captos suffocarunt. Inde vero properantes Mitaviam usque, exusserunt suburbium, ita ut ignis etiam arci nocivus, in fumo & vaporibus ultra sexcentos in arce suffocatos reperirent. Mitavia exusta Rigam perrexerunt, vbi tantum pernœctantes,

---

inde *Novam Molam* pergunt, arcem occupant. Vnde a Rigensibus expulsi, Sigwoldum vsque ad Walkum perrexerunt. In reditu vero ultra mille trecentos homines, ad pecudum instar in Litthuaniam abigerunt. Hæc facta in quadragesima anni prius dicti 1345. Neque hic calamitatum finis fuit. Felini quoque Æsthones rustici seditionem machinantur, qui conspirantes secum, statuerunt Commendatorem felinensem cum sui Ordinis Fratibus in arce trucidare. Vsi autem sunt hoc astu. Mos erat subditis felinensibus quod censum frumentorum, quotannis pendere tenerentur Felini in arce, idque circa adventum Domini mense Decembri. Itaque omnes conspirantes, vna eademque die venire cum vehibus frumentorum ad arcem statuerunt. Quilibet eorum adhuc habens virum sacco inclusum cum armis. Cum vero arcem intrarent, quilibet suum ex sacco socium quantocyus dimittens, insperate voluerunt in Germanos irruere & trucidare. Verum dolus hic per vetulam aliquam, quæ unicum filium suum habens inter perduelles, Commendatori innotuit, timens ne filius ejus in proditione periret. Petiit itaque ut hanc illi gratiam exhiberet Commendator, ne filius ejus interficeretur, signo aliquo certo saccum in quo latitabat notando. Cum igitur latere fraudem subditi putarent, in die S. Thomæ Apostoli, ad opus perficiendum, convenerunt ante arcem. Com-

mendator quos cum advertisset, tot admittere jubet, quibus se cum suis sufficere posse putaret: interfectis tam qui in saccis quam qui vehes adve-  
xerant. Deinde alios quoque ad arcem admittit, qui visis cadaveribus suorum, consternati, supplices veniam petentes, novum censum singulis annis pro hac fraude solvere statuerunt: idque eadem die qua illi dolum machinabantur, anno 1345.

Hic Magister arcem Marienborch & Frauenborch in finibus Russiæ extruxit, quod ægre ferentes vicini, statuerunt eas demoliri: itaque convenientes ex finibus Russiæ trecenti, ingentem fumum sub arce Marienborch excitarunt, ut Germanos suffocare possent, qui non ferentes fumum & densam caliginem, eruperunt ex arce, & propulsarunt hostes, occisis Ruthenis duode-  
triginta. Regnavit hic Magister annis sex. Moritur Wendæ in Livonia.

## XXV MAGISTER LIVONIÆ GOSVINUS VON ERCKE.

ANNO 1347 *Gosvinus von Ercke* dignus habitus est Magisterio Ordinis teutonici, qui erat Commendator felinensis. Hujus Magistri tempore aulæ Magister Prussiæ Henricus Thuffeiner, a Waldimaro III Danorum Rege & Othone fratre ejus districtum Harrien & Wirlant cum tribus arcibus & civitatibus Revaliam, Narviam, Wessenbergk, cum omnibus adjacentibus fundis &

libertatibus emit pro novendecim millibus Siclis argenti juxta taxam ponderis coloniensis, [ *h. e. 158333 et semis Rthlr.* ] qui contractus Marienburgi in Prussia factus anno 1347 die 24 Junii. Eodem tempore Otho Regis Daniæ frater germanus, amplexus est Ordinem teutonicum. In festo igitur omnium Sanctorum, cesserunt Dani prædictas arces & civitates Ordini Prussiæ. Vbi primus fuit constitutus ab Ordine *Commendator Bernhardus von Dreyleben*, defuncti illius Magistri patruelis Saxonia oriundus. Sed redeamus ad propositum. Prædictus igitur Gosvinus multa gessit prælia cum Russis ex Witepsk, Smolensky & Plescoviensibus, quorum plus decem millia vno prostravit prælio, die Purificationis B. V. Mariæ anno 1348, paucis suorum interfectis, & IX fratribus Ordinis. Sequenti vero anno cum Samogitis bellum suscepit, eorum provinciam depopulavit & aliquot eorum munitiones occupavit vi & armata manu, quas tandem ad fundamenta vsque diruere jussit, utputa *Kula, Basin, Dobesin & Zela*. His peractis in Samogitia, cum ingenti præda revertitur in Livoniam. Hic annis quatuordecim functus est Magisterio, habuit tum temporis socium Archiepiscopum Rigensem *Fromholdum a Fiffhausen*.

## XXVI MAGISTER LIVONIÆ

ARNOLDUS VON VITINKHOVE.

ANNO 1360 successus est in locum Gosvini

*Arnoldus a Fitinkhovs* Commendator Marienburgensis in Livonia, qui sui Magisterii tempore multas expeditiones, tam hyeme quam æstate adversus infideles habuit. Inter cetera vero memoratu digna nec illud fuit postremum, quod *Caunam* in Litthuania expugnarat, & Regem Litthuaniz *Constantinum* cum filio multisque Nobilibus captivarat, interfectis ibidem duobus milibus, munitionem vero ipsam exussit, & ad fundamenta usque diruere fecit. Præfuit Magisterio annis duodecim.

### XXVII. MAGISTER LIVONIÆ

GUILHELMUS A FREYMERSEN.

ANNO 1372 successit Arnoldo *Guilhelmus*, qui quoque cum Ruthenis & Litthuanis & Semigalis multa prælia commisit. Hujus Magistri tempore Archipræfulis Rigenfis cathedram obtinuit *Johannes a Sinten*, ordine octavus.

### XXVIII. LIVONIÆ MAGISTER.

LOBERTUS AB HULSEN.

ANNO 1384 subsecutus est in officio Magisterii *Guilhelmum*, *Lobertus ab Hülsen* pomeranus. Sub hujus Regimine cum exteris pax erat. Sed intestina iterum cum Derpatensibus bella exoriuntur, quæ tandem a Waldimaro Magistro pacata sunt: uti inferius recensebitur. Vixit hic annis novem in Magisterio.

---



---

XXIX MAGISTER LIVONIÆ  
WOLDIMARUS A BRUGGENEY.

ANNO 1349 adeptus est officium Magisterii, Woldimarus a Bruggeney, vir multarum virtutum & facinorum bellicorum clarus. Is inchoatum cum Derpatensibus bellum, hoc pacto finivit. Nam Derpatenses concepto odio in Ordinem Crucigerorum, fœdus inierant cum Ruthenis, Litthuanis & Samogitis, ut eorum suppetiis adjuti facilius debellarent Magistrum. Verum Waldimarus exercitum colligens fratresque Ordinis sui, cum prædicti hostes Livoniam magna ex parte devastassent, & lacum Peips transfretarent, eos in littore excipiens magnam hostium stragem edidit. Quo facto Derpatenses humiliati & compositis cum Ordine rebus, iterum in ordinem redacti sunt.

Hujus Magistri tempore Nobilitas in districtu Harrien & Wirland, hæreditario jure a Magistro Prussiæ Conrado Jungio privilegiata est, ut uterque sexus tam mobilium quam immobilium bonorum hæres existeret. Actum Gedani 1397. Præterea si quæ controversia inter Nobiles prædictorum districtuum agitabatur, ne semper supremum peterent Magistratum in Prussia; Sex Nobiles utriusque districtus cum duobus ex Ordine Præfectis: utpote Commendatore Revaliensis & Advocato Wessenbergenfis deputati erant ad dirimendas

dirimendas lites, de quorum decreto nulla admittebatur appellatio.

Nec illud postremum, quod ea gauderet libertate Nobilitas loci istius, ut homicidam tueri possent, si in cujus bona vel prædium confugisset: etiam contra voluntatem superioris Magistratus. Ad hæc quilibet Nobilis jure gaudebat proprio in bonis suis, judicare etiam criminalia inter subditos suos, nullo interpellante alio Magistratu arcis vel Præfecturæ, nisi sponte & forsitan ut vitaret suspicionem falsi judicii propriæ vindictæ. Verum hisce libertatibus ditati, deteriores effecti Nobiles, nec juris nec æquitatis habentes rationem, pro libitu omnia faciebant, opprimentes subditos, adeo ut si quis eorum mortuus erat, post se relinquens liberos, Dominus omnia sibi tribuens, orphanos spoliabat, qui postmodum fores aliorum pulsare & ostiatim victum quærere compulsi sunt: & si quis subditorum vel minime deliquisset, jussu Domini sui umbilicotenus nudatus, virgis cædebatur, nullam vel sexus vel ætatis rationem habentes. Nec licitum fuit subdito, de injuria illata a Domino, Magistratum interpellare. Nec Domino quoque pudor fuit, subditos suos in commutationem dare pro canibus & accipitribus. Et si quis necessitate coactus, alium in defensione propriæ salutis, casu occidisset, absque judicio & sine ullo jure, nullo adhibito carnifice, capitis damnatus mulctabatur. Si vero

effugisset homicida, vxor vel liberi mariti vel parentis pœnas luere sapius accidit. His & similibus oneribus, magis tyranno subditi premebantur jugo. Vnde tandem vsqve adeo insolentia excrevit nobilium Livonorum, quoad vxores eorum, cum currum ascendere vellent, rusticus primo humi prostratus, se trunci loco, pedibus illius subiecit: ne tamen delicatus asinus si minus delicate ascenderet, læderetur vel strepitum ederet, vnde forsitan ab assistentibus, si animadversum fuisset, risui & cachinnis exponeretur. Sed satis hæc hoc loco de Nobilitatis Livoniæ effrenata superbia atqve inaudita ambitione & petulantia: de qua pluribus pius Lector in sequentibus nisi etiam honestis auribus molestum fuerit ista sufferre, auditurus. Vixit autem in Magisterio Woldimarus annis decem.

### XXX MAGISTER LIVONIÆ

#### CONRADUS A FITINKHOVE.

ANNO 1404 suscepit munus Magisterii in Livonia *Conradus a Fitinkhove*. Is cum Moschovitis magnum commisit prælium ad fluvium Modda, vbi septem millia Moschorum interfecti sunt, præter eos qui se aquis suffocarunt. Hac verò parta victoria, constituerat susceptum jam bellum cum Moschis in armis finire. Sed quia tum in Prussia aliud exortum bellum inter Prutenos & Jagellonem Poloniæ Regem, qui & Witholdum,

Magnum Litthuanix Ducem, sibi belli socium  
asciverat: Magister Livonix Cruciferis Prussix  
suppetias ferre decrevit, & sic inducias cum Mo-  
schis invitus sumere coactus fuit. Hujus Magi-  
stri regimine anno 1407, in campo Mariendahl  
vno ab vrbe Revalia milliari, inchoatum est ce-  
lebre illud monasterium Divæ Brigittæ, a tri-  
bus opulentis mercatoribus, quod tandem con-  
summatum est anno 1436.

Anno vero 1413 Magnus Dux Litthuanix,  
Duci Moscovix, Ducatum Smolensky, armis &  
bello ademit. Magister autem Conradus potitus  
est regimine annis decem.

XXXI MAGISTER LIVONIÆ  
THEODORICUS TURCA,

ANNO 1414 susceptus est ad officium Magiste-  
rii *Theodoricus*, qui bona pace potitus, non diu  
regnavit. Hujus temporibus extitit Archiepisco-  
pus rigensis Jo. Valenraderus, qui interfuit Con-  
cilio constantiensi, vbi Jo. Hussius ex Concilii De-  
creto tanquam Hæreticus igni fuit adjudicatus,  
quem Livonica Nobilitas cum ducentis eqvis ad  
illud generale Concilium expediverat. Verum  
reversus Rigam non multo post obiit.

XXXII. LIVONIÆ MAGISTER.  
SUIHARDUS A SPANHEIM.

ANNO 1418 suscepit Magisterii munus *Suihar-*

*du.* Is continuo in armis adversus Litthuanos degere coactus fuit. Vixit in Magisterio annis decem. Hujus tempore Cathedram rigensem rexit Johannes Habundus.

### XXXIII MAGISTER LIVONIÆ.

#### CYSUS A RUTENBERCH.

ANNO 1428 cœpit Magisterio præesse *Cyfus*. Hujus regiminis tempore anno 1433 vndecima Maji, tota civitas Revalia cum cathedrâ ecclesia, templis & cœnobiis incendio conflagrata. Prædictus vero Magister Cyfus adversus Litthuanos arma sumsit, & magno cum exercitu Litthuaniam vastavit. Verum exercitus dysentericæ morbo laborans, magna militum pars extincta. Hoc in morbo ipse Magister cum multis Ordinis sui Fratribus periit; functus est officio Magisterii annis novem. Hujus fuit comes in Archiepiscopatu rigensi Henningius a Scharfenberger.

### XXXIV. LIVONIÆ MAGISTER

#### FRANCO A KERSDORFF.

ANNO 1437 successit Cyso, *Francus Kersdorff*, qui a Magistro Prussicæ contra voluntatem Livonum in Magisterium intrusus. Is inchoatum cum Litthuanis bellum finire volens, cum copiosissimum collegisset exercitum, & in Litthuaniam perrexisset, plus quam viginti millia electorum militum in confuctu cum Litthuanis

perdidit. Magnum sane Livoniæ lamentum, unde nec parvum subsecutum est detrimentum.

Verum haud minus & illud Livoniæ obfuit, quod videlicet prædictus Magister, tum Rigæ magnum pecuniarum thesaurum collegisset. Nam ab vno Commendatore felinensi, qui mortuus fuerat, triginta millia Marcarum in auro & trecentas libras argenti, absque suppellectili argentea & abaco, quæ ei contigerant, accepit. Ab Advocato vero in *Albo Lapide*, Aureorum & Talerorum ad centum millia extorsit. Quibus corrasis in Prussiam se contulit, bene expilato Livoniæ ærario. Præfuit Ordini & obfuit annis duobus.

XXXV MAGISTER LIVONIÆ  
HENRICUS A BUKKENODEN.

ANNO 1439 subsecutus est *Hen. a Bukkenoden* cognominatus *Sehüngel*. Hic absque consensu aulæ Magistri Prussiæ, qui semper primum dederat votum in electione Magistrorum Livoniæ, ab Ordine & Nobilibus livoniensibus in Magistrum adoptatus. Is lites & dissensiones omnes cum *Henr. Scharfenberger* Archiepiscopo rigensi mitigavit. Verum nec diu servata pax fuit, eo quod inter Archiepiscopum rigensem & Magistrum Ordinis de eminentia regiminis & autoritate continua fuit æmulatio: quia Archiepiscopus rigensis semper *Primas* habitus fuit Livoniæ, ad hæc etiam quod Ordo Cruciferorum ab Archiepiscopo

rigensi & cœteris Livoniæ Episcopis accitus fuit in illam provinciam, qui vt religiosi milites iuvarent propagare fidem Christi in gente & natione barbara, quam ob causam prædicti Episcopi cum Archiepiscopo rigensi, Magistro & Ordine cesserunt tertiam partem Livoniæ, reservantes sibi duas partes. Successu vero temporis Ordo & Magister obliti priorum, sibi summam arrogantes auctoritatem, causam præbuerunt multarum rixarum, vnde non pauca subsecuta sunt mala. Hic quoque duntaxat annis duobus functus est Magisterio.

### XXXVI LIVONIÆ MAGISTER

HENRICUS FINKE AB HAVERBERGE.

ANNO 1442 Henricum a Bukkenoden subsequitur alter *Heidenreich Finke*. Hic duas habuit expeditiones in Moschoviam, magnamque illius provinciæ partem gladio & igne devastavit. Ædificavit arcem in Curonia Bausk, potitus regimine quatuordecim annis.

### XXXVII. LIVONIÆ MAGISTER

JOHANNES OSTHOF A MENGDEN.

ANNO 1456 successit in officium Magisterii *Johannes Osthof*. Is colligens copias non exiguas pro suppetiis ferendis Magistro Prussiæ adversus civitates quæ defecerant ab Ordine Crucigerorum in Prussia. Verum intestino compulsus bello, iisdem usus est adversus Sylvestrum

Archiepiscopum rigensem, qui ab eodem Magistro Kokenhausii obses, & captus est ibidem: spoliatur bonis omnibus, veneno extingvitur; quo tandem odio concepto Magister, *Livoniæ Annales* repertos in Bibliotheca Archiepiscopatus Kokenhausii, qui Livoniæ gesta continebant, cum ceteris codicibus comburi jussit, vti initio insinuavimus. Ipsum vero sacrum Myrtam, veneno extinxerunt.

Anno 1472 appulit Revaliam femina ex Græcia, prognata ex stirpe imperatoria Palæologorum, quæ Magno Duci Moscoviæ Johanni Basilidis ejus nominis primo, Constantinopoli desponsata fuit: inde vero magno cum comitatu ad Moscoviæ fines deducitur. Ibi a Moschis summo cum applausu & splendidissimo apparatu excepta, ad Principem suum abducunt. Annis hic Magister præfuit decem & novem.

### XXXVIII. LIVONIÆ MAGISTER.

#### JOHANNES WALTHAUSEN.

ANNO 1475 susceptus est ad hoc munus Magisterii Johannes a Walthausen. Hic in Wironia vel Wirlandia, extruxit munitionem Tolsborch, qui cum sesquialterum annum suo præfuisset Ordini, citra omne jus & fas, ab eodem Ordine suo deponitur & Wendæ captivatur, vbi etiam finivit vitam. Quod ipsum non multo post, quoque Archiepiscopo Rigensi a Civibus suis evenit, vti inferius

recensebitur. Vnde magna Livoniæ plaga subsequuta est.

XXXIX MAGISTER LIVONIÆ  
BERNHARDUS VON DER BORCH.

ANNO 1477 adeptus est Magisterium in Livonia Bernhardus von der Borch, qui bello laceffitus a Moschis se quoque munire cœpit adversus hostem. Collegit idcirco exercitum copiosissimum ad centum millia, qualem nullus unquam Magistrorum in Livonia ante illum vel etiam post habuit. Tanto igitur cum exercitu perrexit in ditiones Moschi, omnia depopulando & suburbium Plescoviæ exussit. Verum Moschus nequam otiosus, quamdiu Magister in Moscovia grassatur, ille vicissim reddens rationem, Livoniam devastavit: deterius multo quam in Moscovia factum fuit. Multa millia hominum ad instar pecudum in Moscoviam abacta fuerunt.

Hic quoque Magister cum Archiepiscopo rigensi *Stephano Gruben*, gessit bellum. Rigam obsidet. Verum Rigenses se mascule defendentes, Magister cum pudore recedere coactus fuit. Tunc temporis Rigenses arcem civitati adjacentem diruere fecerunt, quam deinceps sub Plettenbergio iterum ædificare cogebantur, uti inferius recensebitur.

Verum Archiepiscopus prædictus multas a Magistro & Ordine perpeffus injurias, ad extremum

velatis oculis, inverfo modo, eqvo impositus, caudam eqvi manu tenens, vrbe extruditur. Cujus rei ignominia commotus Pontifex romanus Sixtus IV, Magistrum cum fuis complicibus anathemate percuffit. Vnde evenit quod pari infamia Magifter deponitur ab officio, reliquum vitæ misere transegerit, postquam præfuerat Ordini annis novem.

## XL MAGISTER LIVONIÆ

JOHANNES FREYTAG,

ANNO 1479 debellavit Moschus Ducatum novogrodensem in Russia, & suo subjecit imperio, incolas vero loci illius inde exturbavit, & alibi in ditione sua per varia loca dispersit. Anno 1486 incepit præesse Ordini in Livonia, Johannes Freytag, Commendator revaliensis, durante adhuc bello cum Rigenfibus. Verum cum utraqve Pars ad committendum prælium parata esset, acies suas in latissimo campo sub arce Treiden instruunt. Vbi Magister a Rigenfibus profligatus, octo Ordinis Præfecti, captivi ducti sunt Rigam cum triumpho, totidem in prælio cæsis.

Anno 1492 Johannes Basilidis Dux Moscoviæ cœpit ædificare arcem e regione Narviæ Germanorum, in finibus Livoniæ, quam secundum nominis sui proprietatem Iwango rod vocare voluit, non sine magno Livonum incommodo. Fertur et illud Revaliæ accidisse circa ista tempora,

quod duo mercatores moschi, quorum alter falsam monetam cuderat Revaliæ, alter in sodomitico deprehensus scelere cum equa, a Senatu igni adjudicati & combusti juxta juris decreta. Quorum necem Moschus ægre ferens, eorum infamiam hoc pacto vindicavit: quod videlicet omnes mercatores germanos, qui tum in Moscovia erant, in foetidissimos carceres injici jusserit, ubi multi inedia, multi foetore & squalore consumti, vitam misere finierunt. Hic Magisterio potitus annis novem.

## ADMONITIO AD LECTOREM.

VOLO TE hoc loco admonitum Lector Benevole, quod a temporibus Plettenbergii quadragiesimi primi Livoniæ Magistri fufius parum nostram conscripturi simus historiam: causa est, quod res ab illo & sequentibus Magistris gestas, homines nostri seculi plures quorum ipse notitiam habui, memoria tenuerunt. Ex quorum fide digna relatione multa didici, quæ nostri temporis scriptores rerum livonicarum ministri evangelici studio subticere statuerunt: ut vel hac ratione quæ a catholicis Toparchis olim in Livonia laudabiliter præstita, vnde posterius non parvam ædificationem in catholica religione haurire possent, sua invidia hominibus eriperent. Imo quod

mirandum, volunt hunc virum catholicissimum hæreticæ pravitatis insimulare, qui tot catholicæ religionis monimenta post se reliquit: ut inferius dicitur. Cum res apertissime sit falsa. Nam anno 1495 Plettenbergius susceptus est ad munus Magisterii, & viginti duobus annis post, utpote anno 1517, primo incepit Lutherus sui quinti Evangelii semina spargere.

### XLI LIVONIÆ MAGISTER

#### GUALTERUS PLETTENBERGIUS.

ANNO 1495 Gualterus Plettenbergius, vir & militaris scientiæ peritus & in pietate erga Deum zelosus non sine laude, & meliori omine cœpit fungi Magisterio, qui omne studium in hoc vnum convertit, ut primo intestinos sedaret tumultus cum Rigenfibus quos Plettenbergius adegit, ut arcem rigensem ab illis dirutam reedificarent ut ante fuerat. Atque ut eos facilius sub obedientia contineret, Dunamundam arcem melius ut ante munire cœpit. Wendam arcem quoque turribus munitiorem reddidit.

Moschus autem cum multas præberet Livonienfibus belli causas, & per septuaginta miliaria Livoniam depopulasset, vnanimi Procerum consensu decretum fuit, hosti bellum apertum indicare, & injuriam illatam armis vindicare. Itaque cum Alexandro, magno Lithuanicæ Duce, Plettenbergius fœdus inivit, simul contra Ducem Moschovicæ, cujus filiam habuit Alexander conjugem,

arma fumere, & cum propter affinitatem cum Moscho contractam, Alexandro tute fidere non posset, Plettenbergius, pactum inter se factum juramento & literis confirmare voluit: Quod etiam factum fuit. Verum cum Plettenbergius esset paratus, interim Adalbertus Poloniæ Rex, frater Alexandri moritur, cujus morte præpeditus, ad obtinendum sceptrum in Poloniam properavit. Ita spe fraudatus Plettenbergius auxilii, cum suis duntaxat in Moschoviæ Principis ditio- nes perrexit. Ibi cum primo offendisset quadraginta millia Moschorum, commisso cum illis prælio eos in fugam convertit, cæsis quam plurimis. Qua victoria obtenta magnam partem regionis istius igne & gladio vastavit. Verum exercitus ex incommoditate & cibi non assveti cruditate corruptus, dissenterix morbo laborare cœpit. Quare exercitus dispersus, finem tum imponere bello Plettenbergius nequit. Verum et Plettenbergius morbo correptus, quiescere ab armis cogitur. Dum autem Nostri ægritudine premuntur: Moschus irruptionem fecit in Livoniam, obvia quæque devastat: plus quam quadraginta millia hominum interfecit, & in captivitatem abduxit. Sub Helmet autem cum in reditu esset Moschus, interceptus a Germanis, quindecim millia cæduntur vna cum belli Duce Alexandro Doblinsky. Factum anno 1502.

Eodem igitur anno, mense Augusto Pletten-

bergius cum suis paratus ad bellum, cum duobus millibus equitibus cataphractis, & mille quingentis peditibus Plescoviam perrexit. Vbi insperate a Moschis nonaginta millibus vndeque circumseptus, nullum aliud refugium sibi restare intelligit, quam vel pugnare vel mori. Idcirco descendens ab equo, Dei & beatissimæ Virginis implorat auxilium: Nam Provincia Livonia a primis in ea christianæ Religionis fundatoribus patrocinio Deiparæ Virginis commissa fuit. Quæ etiam tum temporis cum sanctissimo Pusione in aere apparebat. Quæ visione Plettenbergius cum suis quodammodo recreatus ad fortiter dimicandum cum suis adhortatus fuisset. Tormentum vnicum quod tum secum habuit, concatenatis globis oneratum explodi in hostem imperat. Idque cum ter quaterve reiteratum fuisset, hostium phalanges dirumpuntur. Et cum iam acies starent confusæ, Plettenbergius eos facile fudit, adeo ut paucissimi fuga sibi vitam consulere. Miraculum sane tam parvis copiis, tantum exercitum vincere & superare. Verum hujus visionis prædictæ scriptores moderni nullam faciunt mentionem: Causam facile pius quilibet intelligit, qui scit, quanta hi laborant invidia, non modo in superbenedictam Dei Genetricem, verum in omnes Dei Sanctos, adeo ut illis omnem prorsus auxiliandi, per intercessionem ad Deum periclitantibus potestatem, eripere ultra modum

moliantur. Verum nos id, ex certa habentes majorum nostrorum traditione, hoc loco inferere, tanquam rem omnibus notam non puduit. Non obstantibus malevolorum obtreccionibus, qui id ipsum tanquam naturæ paradoxon conantur ire inficias. Verum redeamus ad propositum. Reportata igitur tam gloriosa victoria: Plettenbergius in perpetuam rei memoriam, duplicem monetam cudere jussit, sub vna effigie Patronæ Livoniæ, vti in conflictu Livonibus apparebat: auream ad instar aureorum Lusitanæ vulgo Portugolica dictam, decem Vngaricales continentem: argenteam quoque omni fuce carentem nitidamque quæ nunc rarior, quatuor tamen constantem grossibus polonicis.

Præstitit quoque belli Dux Plettenbergius in hoc conflictu votum, quod si obtenta victoria, salvus evaderet hostium manus se loca sacra invisurum, ac peregrinari Hierosolymam: qui non multo post graui morbo correptus, cum voti sui compos esse non posset, convocatis Ordinis sui Fratibus, rem illis vti necessariam proponit: vt saltem vel illo vita functo, siquidem Deo vovisset & hac ratione insperatam victoriam obtinuisset, aliquos ex suo Collegio implendi voti gratia ad loca sacra expedirent. Quibus cum id videretur molestum, omnesque recusarent: vnicus duntaxat inter illos repertus: Vir bonus & rectus Robertus liber Baro Commendator felinensis, qui

hanc in se provinciam suscepit, illud duntaxat flagitando ut eum tanquam totius Livoniæ Legatum, honesto cum comitatu expedirent. Cui Livones adjunxerunt Equites quinquaginta, tribuentes ei Oratorem quendam *Dionysium Fabri* Pomeranum, Livoniæ Syndicum, virum Juris civilis doctum: imprimis ad Proceres Imperii, deinde ad Carolum V Imperatorem, postremo ad Romanum Pontificem Leonem ablegarunt, ut obtentis ad Solimanum literis, liber ei transitus pateret, in regionem ire redireque sacram. Quo itinere feliciter exacto, Carolus V Imperator, ob multa præclara Cruciferorum in Livonia præstita facinora Livoniæ Magistrum abhinc inter Imperii Principes annumerare voluit, Principisque titulo beavit. Hinc facile colligitur, num prædictus Plettenbergius hæreticus fuerit an non: uti impudenter asserere de illo veriti non sunt, qui Livonicam Historiam hoc nostro seculo conscribere conati sunt.

Hujus Magistri temporibus, rigen. Cathedram rexit *Casparus Linden*, vir quoque in religionis zelo fervens, qui semper Plettenbergio & consilio & ope adversus Moschum magno fuit adjumento.

## XLII. LIVONIÆ MAGISTER

HERMANNUS VON BRUGGENEY  
COGNOMINATUS HASENKAMPF

PLETTENBERGIO successit Hasenkampius,

---

qui primus inter Magistros Livoniæ Principis titulum vsurpare cœpit, anno circiter 1535. Is post Plettenbergium bona pace potitus, & otio diffluens, cum hæresis Lutherana iam magnam Germaniæ partem infecisset, is in catholica religione tepidus, eandem hæresim in Livonia disseminare permittit. Sic igitur aucti honore majori ac titulis Livoniæ Magistri, cum hoc ipso ad majora provocarentur, en in contraria rapiuntur; tepescentes tam in virtutibus, quam zelo pietatis sensim ab auita & pristina majorum suorum religione deficiunt, immemores Voti Ordinisque sui, conniventes flagitiosorum excessibus, ipsi quoque voluptatibus dediti in summa pace ac rerum omnium affluentia commessationibus atque ebrietatibus continuis se ingurgitando, in pessima quæque scelera præcipites feruntur & ruunt, paratissimam se ipsos exhibentes fomitem, ad concipiendam hæreticam pravitatem. Fertur enim id de inaudita bibendi indolentia apud Nobiles Livoniæ hunc fuisse morem observatum, quod nimirum cum in comotationibus aliquot convenissent: tum de laude inter eos potitatum fuit, quisnam alterum citius inebriaret. Et ne dolo circumveniret vnus alium, non permillum fuit a mensa surgere, cum quis vesicam levare velit, ne sub hoc prætextu, aliquis sibi vltro vomitum provocaret, & nimietatem potus more canum, ore ejiceret, Puer  
aliquis

aliquis coactus fuit pelvim sub mensa porrigere illi qui mejere voluit. Vnde sæpius evenit quod non nulli ex nimia crapula, ebrii animam exhalant: adeo ut illud vere de Livonibus dici poterat, uti Persarum Græcorumque sonat proverbium: *η πιει η απιει*, aut bibe aut abi. Verum nec mirum: Ita enim evenire consuevit, quod Vir Dei de Israelitis queritur: Deuter. XXXII. 15. *Incrassatus (inquit) est dilectus, & recalcitra- vit: incrassatus impinguatus dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.* Quod sane accidit Livoniæ. Nam non modo Cruëigerorum Ordo potens, a religione catholica defecit, vota fregit, incestuosa connubia contrahunt Ordinis Fratres, & ad nova ex saxonica palude, apostatæ Lutheri hausta dogmata animum derrepente applicant. Verum ipsi quoque Antistites, veluti gregis Domini vigiles Endymionem agere cœperunt, secure in vanamque dormiunt aurem, cum fera rapax gregem adoritur, & oves diripit. Dormitante namque Patre familias facile admittitur ut inimicus superfeminet lolium tritico. Ac quod mirandum magis, Derpati nimirum primo, anno 1538, non Rigæ Revaliæve aut aliis in maritimis Livoniæ civitatibus, hujus infelicissimæ hæresis semina sparsa, præsentem Antistitem ibidem Hermannò Bey: idque non a viro literato, verum Pellione quodam, homine inepto ac rudi, Michael

nomine, qui Noribergâ huc in Livoniam, nescio a Deo ne? an ab alio Prodrumus Diaboli missus venerat. Apparebat sane ex ipso Apostolo, quale futurum erat Evangelium. Ut igitur doctrina responderet inventori, inventor & prædicator doctrinæ, (similes namque ut habeant labra lactucas necesse est,) aptissimum Cacadæmon suo stratagemate instrumentum repererat, ut ejus Minister qui Noribergæ quondam circa emortuas pelles operabatur, nunc in Livonia fidem mortuam & enervem prædicaret. Hujus Magistri tempore præfuit Cathedræ rigensî Johannes Blankfeldt, qui etiam revaliensis fuit Episcopus. Hic Hasenkamp potitus est Magistri titulo annis quatuordecim.

### XLIII. LIVONIÆ MAGISTER

#### JOHANNES VON DER REKKE

ANNO 1549 defuncto Hasenkampio eligitur in Magistrum Jo. von der Rekke: annis duobus præfuit Magisterio. Hujus Magistri patruelis fuit tum Episcopus derpatensis, Successor Hermanni Bey. Is Prædecessori suo haud erat absimilis, qui pariter connivens seductoribus populi: ultimo justo Dei judicio a suis extruditur, & Episcopatu cedere cogitur. Fuerunt autem hi duo Antistites, etiam ipsis Livonibus exosi, quippe qui in eorum infamiam sequentem hunc Rithmum confecerant.

*Herr Bischoff Herman Bey,  
 Gab sein Bischtum umb ein Ey.  
 Herr Jodocus von der Rekke,  
 Warf das Bischtum ganz im Drekke.*

Huic Rekkio, quidam Petrus Tisenhausen succedere debebat, qui per Simoniam Episcopatum derpatensem adipisci conabatur: hic spretus a Nobilibus ( vocatus est enim *Gern-Bischoff* id est libens Episcopatus ) ad sedem haud admittitur. Sed ejus loco substituitur, Hermannus Weyland: Abbas Monasterii Falkena, Ordinis Prædicatorum. Vir ære gravis, hunc ferunt futoris filium fuisse in Westphalia. Hic colophonem imposuit Episcopatu derpatensi: nam captus ibidem, vna cum Fürstenbergio Livoniæ Magistro, vti inferius dicetur, vterque sub Tyrannide Moschica vitam finivit in captivitate.

#### XLIV MAGISTER LIVONIÆ.

#### HENRICUS VON GALEN

ANNO 1551 consecutus est Magisterii munus Henricus von Galen. Qui pacifice sedit in suo Magisterio. Causa est, quod tum Dux Moschoviæ occupatus circa regna Scytarum, Casan & Astracan, quæ suo subjecit imperio: Regem Reginamque eorum captivarat. Hujus Magistri tempore, Rigenses Archiepiscopum suum flocci

pendentes, ei parere recusant, eo quod Rigenfis Consulis filius erat: Thomas Schöning: is in angustiis constitutus, nunc hos nunc illos supplicat egenus opis. Archiepiscopatum suum desere-  
 rere compellitur, querulus pergit Romanam. Et cum per Marchionis brandenburgensis ditiones iter faceret, a Guilielmo Marchionis filio excipitur hospitio. Cognita re ab Archiepiscopo, cur nimirum romanam sedem peteret, data illi pecuniarum summa pro viatico, tractat cum illo ut sibi apud Pontificem impetraret sedem rigensem. Si quidem illum ipsum repudiarent, quia inferioris esset familiae. Cui facile consentit Archiepiscopus cum ipse eam obtinere haud posset, se id facturum pollicetur. Qui cum supplex Romanam venisset, Pontifici exposuit defectionem Livoniae a Religione catholica, ideoque Rigenfes eum pati nolle, rogabat ut Guilielmum Marchionis filium, in ejus substitueret locum: qui illustri oriundus familia, ad hac potens, majorisque esset autoritatis. Cui facile annuens Pontifex, ob majus uti sperabat Religionis augmentum (ignorabat autem Pontifex hunc quoque infectum haeresi) Confirmationem Guilielmo conferre non distulit, qui Archiepiscopatum non ut bonum opus, sed ut bonas opes ambiebat. Nam ejus fuit propositum, si saltem pedem in Livonia figere posset: ut Crucigerorum Ordinem ex Livonia sicut ejus Frater, ex Prussia exturbare

posset: Et sic toti solus dominaretur Livoniæ, quod tandem multimoda praxi ad effectum perducere tentabat, vti inferius notabitur.

Acceptatur iccirco a Rigenfibus imo vniverfis Livoniæ Nobilibus, tanquam Princeps Imperii & Primas hujus Provinciæ, idque tanto libentius quanto ardentius eum sciebant eorum Hæresin promoturum. Hic ferme omnis mali in Livonia principium extiterat, vtpote qui nullis initiatus sacris Ordinibus, insuper etiam hæreticus, nulla munia sacra peragendo, omnia mutavit, sacra commiscendo prophanis. Nubunt Sacerdotes, fiunt ministri. Ordines theutonici Fratres religiosi, pari modo procedunt, Ordinem suum vna cum religione abjurant. Ipse Archiepiscopus vt secularis princeps dissolutam vitam agit, molitur Cruciferos expellere, conspirat cum Marschalco Livoniæ, conscribunt militem ex Germania: Ordo advertit, literæ intercipiuntur, fraus dolusque aperitur. Hinc rixæ & dissensiones, hinc intestinum oritur bellum. Ordo arma parat adversus Marchionem & Marschalcum: hi vicissim adversus ordinem incitantur: Sic qui foris resistere hostibus patriæ deberent, domi secum quod agant habent. Cujus pessimi mali omen terribilis Cometa prætendebat, quippe qui multo tempore super Livoniam existens certissimi exitii indicium præbuit. Anno Domini 1556, tempore quadragesimæ. Unde statim

vere sequenti inceptum est bellum intestinum inter prædictas partes.

Causa autem quam Marischalcus habuit, vt adversus Magistrum Livoniæ, Ordinemque suum cum Marchione Guilielmo conspiraret, hæc erat. Mos hic observabatur apud Crucigeros quod a temporibus Plettenbergii, qui ab Aulæ-Magistro Prussiæ emerat Jus Patrocinii: Ne amplius per votum illius, quod semper primum & validum fuit in assignandis Magistris Livoniæ, huic Provinciæ Magister declararetur: semper Marischalcus debebat sine vlla controversia, defuncto Magistro in locum illius succedere. Post Plettenbergii obitum primus fuit electus Magister Livoniæ Hasenkampius, qui tempore Plettenbergii Marischalcum egit Livoniæ: Verum cum Hasenkampius creatus esset Magister: In Marischalcum adoptatur G a s p a r u s M ü n s t e r; Nobilis præcipuus ex Westphalia. Magister Hasenkampius annis obrutus, solus tantum onus sufferre haud se posse affirmat: impetrat ab Ordine suo, vt aliquem ex collegis suis ei assignarent Coadjutorem. Cui annuentes Ordinis Fratres tribuebant illi quendam Joannem Rekkium. Defuncto vero Hasenkampio, ( non enim ob senectutem diu potiebatur Magisterio ) juxta Ordinis Statuta Marischalcus merito succedere debebat Hasenkampio. Fratres vero Ordinis spreto Marischalco contra morem Coadjutorem Magistri, Rekki.

um in Magistrum eligunt. Hæc prima diffensionis causa, Marischalcum exacerbat, adversus Ordinem suum, Interim tamen patienter ferens despectum, exspectat tempus idoneum, vel promotionis vel vltionis. Magister autem Rekkius pari modo obtinuit Coadjutorem Henricum von Galen: qui quoque conquerebatur sibi difficile fore tantæ satisfacere provinciæ; moritur & ille post biennium, Marischalcus adhuc spe fruitur promotionis, qua cum se frustratum iri cerneret, & Henricum von Galen ad Magisterium adoptari, tum Marischalcus justam habens causam odii, cum Marchione conspirat adversus Ordinem Crucigerorum, vt eum omnino ex Livonia ejicerent.

Scripserat autem Guilielmus Marchio literas ad fratres suos per quendam Georgium Taube Lemseliensem, vt ei navigio militem mitterent in Livoniam: parimodo Marischalcus ad suos, erat enim ex celebri satis familia Westphaliæ oriundus. Marchionis nuncius, postquam Ordo rescivit de dolo, persequitur, qui cum aliter effugere non posset, celeriter cymbam ascendit, ab insequentibus, in littore maris, sclopeto interficitur.

Tabellarius vero Marischalci, missus Dunamundam ( ista enim arx spectabat ad Marischalcum ) vt ibi tutius quam Rigæ navem posset ascendere, vt negotium maneret in secreto, quem Vicecapitaneus Dunamundensis, rerum adhuc

ignarus qui erat frater Ordinis, multo potu obruit, cum eum reliquerat dormientem in scamno, ad conclave se confert. Cum igitur bene ingurgitatus nuncius ronchos traheret, oblitus capsulæ cum literis, quam puer aliquis curiosus aperiens, ilteras reperit, referat, legit. Et cum de militibus scriptas intelligeret, fert eas Vicecapitano legendas, qui cognita fraude Marischalci, confestim tabellarium plenum crapula injicit in carcerem, nemine id sciante, præter pueros cubicularios. Capitaneus vero Ordini suo fidelis, Magistro ista concredit, literas refert, jam dolus cœpit esse in propatulo. Marischalcus qui non sperabat literas suas esse interceptas, cum quingentis equitibus venit Dunamundam, quem cum præter consuetudinem, Vicecapitaneus tanto cum comitatu venire advertisset, explodere jubet tormenta in adventantes, quorum cum aliquot læsisset, Marischalcus ignarus, quod jam constaret de dolo illius, putabat enim honoris gratia explosa tormenta, sibicinem mittit ad portas arcis, ut rem intelligeret, et veluti de inepto facto Vicecapitaneum argueret: qui pro responso retulit, etiam in Marischalcum ipsum se id probaturum, si proprius accesserit, qui præter morem tanta cum caterva Equitum veniret ad arcem: non enim tenebatur secum habere præter viginti Equites, qui eum comitarentur. Patefactum igitur cum advertisset fraudem Marischal-

eus, cum suis Equitibus Alcherotum se confert. Quæ arx quoque spectabat ad Marischalcum, ibi cum per mensem fuisset commoratus, omniaque cum milite consumpsisset, Kokenhausium se confert ad Marchionem suæ conspirationis complicem: ibi quoque diu morari nequit, cum Marchio Guilielmus suum quoque militem haberet: Itaque inde cogitur discedere, vagaturque per Livoniam, desertus a suis militibus. Ultimo in Westphaliam patriam se confert. Interim Magister Henricus Galen, cum Ordine, collectis copiis, Archiepiscopum Marchionem cum Conductore sui Archiepiscopatus Christophoro Duce Meckleburgensi in arce Kokenhausia obsidione cingunt, eundemque capiunt, captumque in Schulstên, postea in Adzel custodiri jubent. Qui anno integro captivus detentus, alium liberatis recipiendæ modum non invenit, quam ut per literas sollicitaret Sigismundum Augustum Poloniæ Regem, ut is affinitatis memor, ei suppetias ferre dignaretur. Simul promittendo se Regi cessurum Archiepiscopatus sui ditionem post obitum. Pari modo germanum fratrem Adalbertum Ducem Prusiæ qui Crucigeros inde eiecerat, supplicat: qui misertus fratris constituit ei venire in auxilium: ni dimissus ad petita Regis Poloniæ fuisset. Rex itaque annuens petitis, Legatum suum Hacky mittit ad Magistrum ut Archiepiscopum pristina restitueret libertati: qui

---

nec dum Wendam adueniens, ubi sedes erat Magistri Livoniæ in Curlandia interficitur. Iccirco Rex alium mittens ad Magistrum Legatum, non sine indignatione, & minis, Episcopum Samo- gitæ, vt bellum Regis nomine, Magistro indi- ceret, nisi Archiepiscopum captivitate liberaret. Verum Magister parvi faciens Legationem, non statim obtemperat. Itaque Rex in Comitibus regni Anno 1557 concludit bellum aduersus Magi- strum & Ordinem teutonicum. Et cum exerci- tus Regis in finibus esset Lithuanix, mittit tertio, vt bene considerata re, non esset causa effusio- nis sanguinis. Sed nec his admonitus locum da- re vult petitis Regis. Rex autem ne temere quid inchoaret, quarto ad eum mittit ensen evagina- tum, illi dicendo, quod si armis careret, vel se hoc ense tueretur. Siquidem tam sitibundus es- set sanguinis. Quibus tandem consternatus Ma- gister, cum vires ejus sustinere tantum non pos- sent impetum, per Legatum Imperatoris Ferdi- nandi pacem petiit: Sic igitur humiliatus Magi- ster, Archiepiscopum dimisit, qui cum ad prio- rem rediisset statum adhuc aliquot annis superstes, cum moriretur, suam ditionem cessit Polonis. His itaque rixis finitis, Henricus von Galen diem suum obiit: postquam presuisset Magisterio sui Ordinis annis septem, cui successit Birtlenbergius, qui vix duobus annis potitus regimine Felini a Moscho capitur & in captivitate abducitur.

XLV MAGISTER LIVONIÆ  
GUILIELMUS FÜRSTENBERGIUS.

ANNO 1557 Guilielmus Fürstenbergius consecutus est officium Magisterii, at non adeo felici omine. Nam etsi confopitum erat bellum cum Rege Poloniæ: & Marchio Guilielmus injuriæ suæ esset oblitus: nova tamen belli ansa datur cum Moscho a Derpatensibus & aliis civitatibus Livoniæ. Nam elapso ab emergente hæresi triennio, cum altas jam quintum Evangelium si Diis placet, fixisset radices, vt difficile posset extirpari: nam per totam Livoniam disseminata hæc tam fœcunda seges, brevi tempore, omne supprefferat triticum: tum primo fructus vberes proferre cœpit. Quorum hoc loco seriem recensuri: dummodo non sit molestum pio lectori ista legere & memoria tenere, cum res sint & scitu perjudicandæ & memoratu dignæ, quæ sub Archiepiscopi Marchionis & Fürstenbergii dominio in Livonia contigerunt. Templamque & ædes sacræ vbique spoliantur: & thesauri ecclesiarum cum proventibus diripiuntur. Ex claustris religiosi erumpentes libere uxores ducunt. Cæteri constantes in voto & in religione perseverantes, suspensis crucibus in colla eorum cum summa ignominia vrbibus atque tectis ejiciuntur. Neque his satiatur furor & rabies impune grassandi: Verum etiam facella moscovitica, quæ mer-

catores Moschi ob suam devotionem passim in Livoniæ civitatibus extruxerant, Derpati, Revaliæ, Rigæ, & aliis pluribus in locis, hæc inquam eodem in furore spoliantur & evertuntur. Quod cum ad magnum Moschoviæ Ducem delatum esset, rem vti sibi in conspectum factam ægerrime tulit: confestim Derpatenses qui hac in re exemplum aliis civitatibus præbuerant, primo bellum indicit: datis ad Magistrum & Episcopos Livoniæ literis, quorum hic sensus fuit.

Vos effrenati Livones, qui Deo justoque resistitis Magistratui, mutastis religionem, excussistis jugum tam Imperatoris quam Pontificis romani, Superiorum vestrorum: Etsi illi poterint, se a vobis contemptum iri, permittere, suaque templa spoliari. Ego sane nequaquam ferre hanc meam & ipsius Dei injuriam, & volo & possum. Scitote iccirco me hanc ulcisci velle, & ideo me Deum misisse vobis in plagam pessimam & flagellum, quo vos in ordinem redigam.

Quibus cum literis, nuncium ad Magistrum & Episcopos mittit, exhibendo illis mastigem in signum correctionis: Quem cum Magister pertimesceret, mox Wendæ comitia habuit, consultat quid facto opus sit: constituerunt Livones sibi pacem emere, & per triennium semper Moschoviæ Duci pendere tributum loco 60000 Ungaricorum. His Wendæ stabilitis mittuntur duo nobiles præcipui ex districtu derpatensi, Joannes

Taube & Elehardus Craufius ad Ducem Moschoviæ, ei tributum 60000 Ungaricorum ab univërfa Nobilitate Livoniæ promittendo. Quo Moschus quodammodo placatus differt bellum per triennium. Elapfo triennio cum terminus immineret tributum folvere: Magifter cum fuis animum mutavit: Mittuntur tamen iidem Nobiles prædicti ad Moschoviæ Ducem: vt eum quomodocunqve excufationibus variis vel placarent, vel ab eo expifcarentur quidnam animo voveret. Itaque cum jam adveniffent hi internuncii, honorifice a Moscho prima fronte excipiuntur, ratus fibi tributum allatum a Livonibus: nam factis fplendide hi Legati eo venerant, adeo ut calceamenta eorum micarent vnicuique. Verum experta fraude, eos pari modo aulice fatis illudit, invitando legatos ad convivium, juffit copiofam vaforum et carinorum cum crateris elaboratæ structuræ fupellectilem argenteam deauratam coopertam fplendidiffime menfæ apponere. Legati rati lautiffimam tractationem fecuturam: cum accumberent menfæ fingula difco operire facit, quæ cum vacua effent, confternati Livones hujus tractationis novitate, facile colligere poterant, cur ifta effent inffructa, fummô itaque cum pudore ex aula Ducis deducuntur, poftera die Derpatum pergunt, quo cum honore, facile quilibet prudens colligere poteft.

Non multo post Moschus Derpatum obsidione cingit saltem octiduo sub illam commoratur, cujus terrore perculsi Derpatenses, quamvis Moschus nullum ad mœnia civitatis explosisset tormentum, ultro ei se dedunt. Obrenta igitur civitate, non modo primarios cives, sed plurimos ex plebejis, capite plectere jubet, adeo ut canales civitatis sanguine inundarent. Episcopum ipsum Hermannum Weyland captivum ducit in ditionem suam: residuos vero, tam virilis quam fœminei sexus omnes jubet in forum compellere. Ubi ipse sedens pro tribunali, a singulis, cujusnam essent sectæ vel religionis curiose inquirit. Inter quos quatuor vel quinque reperiens catholicos sacerdotes, Canonicos Derpatenses. Cum quibus erat Tilmannus Brendenbachius, ordinarius Concionator Cathedralis derpatensis, qui Derpatensium gesta & mutationem fidei conscripsit, quos ob hanc ipsam causam, quod constantes manserint in fide Reyaliam mittit, cum quingentis sclopetariis, ut inde irent, quo velint. Præcessit autem huic tragediæ omen mirabile. Est genus piscisculorum quod maxime in lacu moschico reperitur, vocantur vulgo Stink vel Stint, a fœtore quem secum afferunt. Hi prætendentes quid moschicum, qui Moschici dicuntur. Horum tanta fuit copia circa Derpatum, non modo in aquis fluentibus aut rivulis: verum etiam lacunæ &

paludes iis repletæ fuerunt, vbi nusquam pisces ulli reperti, & jam in publicis viis vt seminati non allati viderentur. Quid vero præsignificarent facile Lector prudens advertere poteris.

Verum hujus vindictæ ac ultionis divinæ iustissimam causam præbuit Livonum superborum insolentia, & a fide ac religione ad Hæresin defectio. Verum etiam scelera enormia atque excessus, quorum aliquot hic ordine ob memoriam hominum, vt alii inde eorum posterum Livones superstites exemplum capere queant, si similes plagas evadere velint. Porro superius mentionem fecimus de Pellione quodam Noribergico, cujus etiam in multis meminit Tilmannus Bredenbachius, qui derpatensium gesta conscripsit, qui primo Derpati, quinti Evangelii Apostolum egit. Is tanquam causa, & totius mali pessimum Diaboli instrumentum naniis suis, & præstigiis Derpatensium animos ita fascinarat: vt Episcopo derpatensi, templum parochiale Divo Ioanni Baptistæ dicatum, cives eriperent; Et huic Rabulæ pellioni committerent, vt ibi eorum ageret parochum & animarum curatorem. De quo sane multa refert prædictus Bredenbachius quorum omnium hic seriem retexere longum esset. Aliqua duntaxat vel lectu jucundiora vel memoratu digniora recensebimus.

Inter cætera vero, hujus Pseudo apostoli, factum hoc loco satis lepidum vnum vel alterum



referam. Utpote postquam jam Parochum agere cœpisset suorum civium Derpati, & curam suscepisset templi, in quo cum copiosam vasorum sacrorum suppellectilem reperisset [nec dum enim in ipsis principiis suæ hæresis ausi erant templi thesaurum diripere.] Et Pellio ipse in suos illum usus verebatur convertere, qui Noribergæ vix pane gaudebat quotidiano. Hic enim si in patria sua habuisset bene, in Livoniam profecto per maria prædicatum Lutheri somnia haud venisset. Desperatio quippe uti ferunt, facit monachum. Nescius iccirco quid consilii caperet, cum pretiosissima quæque a majoribus non sine magnis sumptibus collata erant ecclesiis, calices scilicet & monstrantias aureas: cruces præterea gemmis & unioibus ornatas, thuribularia & cæterum apparatus ecclesiasticum cum ei hæc omnia usus non essent. Nam præter calicem & patinam non requirebat pro suo ministerio: convocat senatum derpatensem. Cum consule illis exponens thesaurum templi eosque affatur. Conspicite inquit ad quos quantosque sumptus minime necessarios sacerdotes papistæ, vos, majoresque vestros allegerunt: cum hæc vel in pauperes vel in publicum civitatis commodum potius conferenda essent [Largus sane hic bonus Iscariotes in distribuendo, in quæ nec ille nec ejus proavi obolum impenderant.] Quare accipite thesaurum hunc, inque usum magis necessarium vel

in pauperes

in pauperes expendite. Ego enim, de se dicit pius Pellio, Apostolos Christi imitabor, vnica ero contentus veste, qui iussu Christi si duas haberem, alteram proximo impertirer. Cui Consul: nam grata illi hæc contigerat occasio, benefacis, quod exiguo contentus sis: verum illud minus probatur, vt res tanti precii simul pauperibus distribuantur. Erat autem inter vasa sacra, Monstrantia aurea, non parvi ponderis, hanc sibi adoptat Consul, promittendo se precium ejus non simul sed successiue velle conferre in Xenodochium. Consentit pellio, quem tamen haud multo post, facti sui pœnitet: quod tam stupidus fuerit, & aliis diripiendi thesaurum templi ansam dederit. Cum ipse ex eo cum suis laute vivere potuisset. Tacet tamen interim & exspectat occasionem exprobrandi iis, qui participes facti bonorum ecclesiæ. Accidit autem quod post menses aliquot, Consul filia suæ iusserat ex eadem Monstrantia fieri torques & monilia, aliaque ornamenta muliebria. Quibus comparatis cum filia Consulis splendide ornata incederet, eodem in apparatu veniens ad templum, idque sub concione media, quam tum habuit idem pellio, forsitan vel ideo, vt populus omnis eam in tam splendido habitu admiraretur, quam cum animadvertisset concionator pellifex, ex abrupto apostrophen ad populum orditur. Dilectissimi (inquit), meministis hunc fuisse Papistarum

morem, quod videlicet, cum Christum suum, (putabat enim venerabile sacramentum) in fulva veste conspicerent, omnes ad vnum provoluti in terram, eum adorabant. Quid facto opus nunc putatis? Cum filiam nostri Consulis hac veste ornatam videatis, an non censebitur æquum, ut pari modo procidamus in genua eam adoremus? Justum sane ludibrium, quod pro ludibrio Dei redditur, etiamsi idem vlciscatur injuriam ejus, qui ipse ansam dedit talis injuriæ. Permittit namque Deus, ut Dæmon torqueat Dæmonem: Et vipera suam rodat matrem.

Alterum autem ejus factum priori haud minus execrandum sane, commemorat idem Bredenbachius. Cum non sufficeret huic seductori, ut cives germanos suis fascinaret præstigiis, placuit etiam simplicem populum agricolas Æsthones, eadem tabe inficere. Verum cum ipse esset ignarus linguæ æsthonicæ, ascivit sibi socium fraudis suæ textorem quendam, qui operam suam ei hac in parte præstare non gravabatur. Hic accepta a pellione licentia, eaque absoluta, qua & ipse Noriberga missus fuerat prædicatum in Livoniam: hinc inde vagatur per pagos, puri recentisque verbi femina spargendo. Ante solemnitates autem Paschæ, cum ex Ecclesiæ præcepto Catholici teneantur Eleemosynam facere, & per confessionem expiare delicta. Textor prædictus, milliaribus aliquot a civitate remotus in

pagis, cum ingentem numerum videret subditorum qui more catholico, ad sacram accedere Synaxin parati: Non discernentes hunc textorem a presbytero catholico, putabat enim beata illa simplicitas, omnes qui concionarentur sacerdotis fungi officio, illos turmatim admit- tens ad confessionem, parva molestia facile eos expedit. Sequenti vero die, cum communicare populum deberet, carens hostiis, & ad civitatem pro eis mittere longum erat, ne offensam incur- reret populi, ob incuriam sacræ rei, hoc astu v- sus: accepto videlicet raphano, quo subditi in Quadragesima istis in partibus vt plurimum ve- scuntur, scissoque in orbiculos, ad instar hostia- rum, populo simplici, sacramenti loco disper- titur. Cujus saporem cum longe dissimilem, ab hostiis Catholicorum sentirent: stupefacti sub- diti [ non enim dolum, ob nefas infandum sus- picati ] queruli ingemiscunt dicentes: Bone Jesu, cur nobis factus es adeo amarus, qui antea eras tam dulcis & jucundus. Adverte pie Lector, quot absurda eveniunt vno prius commisso. Et quo tandem hæretica pravitas & malitia tendat. Si prudens es intelligis.

Hæc de communione: de confessione non minus lepidum referam. Rusticus quidam a mul- to tempore confessionem differebat, timens ne in confessione, vrgeretur ad restitutionem, quia nobili cuidam Domino suo bovem furto abstulerat.

Nescio tamen quæ devotione rusticus adactus bono proposito ad confessionem accessit. Incidit autem in prædictum textorem, qui tum confessarium egit, apud eundem nobilem jam hæresi infectum. Credebat enim rusticus eundem esse verum sacerdotem. Cui cum inter cæteros excessus etiam bovis furto ablati mentionem facit, textor parum versatus in casibus conscientiæ non urget restitutionem: Sed accepto munusculo, pro suscepta confessione, larga ex manica, facile cum confitentem dispensat, absolvit & liberum pronunciat. Liberali autem hac obtenta absolute, rusticus qui ante confessionem quodammodo afflictus, reversus domum, hilare exhibet conjugi vultum: quæcum advertisset præter consuetudinem, maritum bene affectum sibi quæ ab blandiri: alloquitur illum, quid sit quod modo adeo lætus sis? Cui ille: Nescis inquit ego verbar, ne sacerdos me cogeret ad restitutionem bovis, quem abstuleram Domino: Sed Deo laus, absolvit me facile. Ad quæ uxor: Vtinam cum fructu! Non post multum temporis rusticus, pristinum molitur opus, alterum hovem eodem Domino auferre conatur: quo in facto deprehensus, facilem præbuit conjecturam Domino, quis priorem abstulisset. Qui factus est facinus, ex decreto Domini sui adjudicatur gabalo. Textor autem confessarius accitus, ut comitaretur furem ad supplicium, uti moris est solari damnatos.

Cum autem ventum erat ad furcam, & fur scalam ascenderet, rogat tortorem, vt paulisper moraretur, dicens se habere, qvòd referret, an-nuentibus omnibus: alloquitur Textorem confessorium suum inqviens: O Domine! tu magna es causa supplicii mei. Mirantur omnes, & confusus textor qværit qva ratione? Cui respondit: Recordaris cum tibi confessus sim de priori bove ablato, tu non cogebas me ad restitutionem, vt facere soliti sacerdotes, nec me de malefacto arguebas, iccirco parvi faciebam furtum prius, & sic alterum furripere conabar, in quo nunc deprehensus misere perire debeo. Sic confessarii imperitia & laxa absolutio, confitentî præbuit ansam iterandi peccatum, peccatum vero causam præbuit supplicii. Plura his similia refert Bredenbachius qvæ initio hæresis Dorpati memoratu digna contigerunt: Verum ob prolixitatem his supersedendum duximus cum alia restent, haud minus relatione digna, recensenda.

Verum hæc superius enumerata Derpati facta insinuavimus. Nunc alia quoque qvæ diversis Livoniæ civitatibus hujus Fürstenbergii Magistri Livoniæ & Marchionis Brandenburgensis temporibus evenerint, commemorare non abs re fore puto. Superius quidem mentionem feceramus de intestino bello inter Magistrum Livoniæ & Marchionem Gvilielmum Archiepiscopum rigensem: Et quomodo per Sigismundum Augustum

hi duo principes reconciliati sunt, multa tamen horum Dominio durante, notatu digna contigerunt, quorum notitiam posteris non parum proficere posse, iudicamus igitur sub brevitate percurrenda.

Hujus tumultus & intestini belli tempore, capitur etiam arx archiepiscopalis Ronburgen, ubi id memoria dignum contigit: Erat autem sub arce prædicta facellum celebre & elegans Divæ Crucis, ad quod pro anniversario dedicationis die, copiosa hominum frequentia, ex omnibus Livoniæ civitatibus, pro consequendis indulgentiis, convenire consueverat, explendo vota Deo præstita, in quo facello miraculosa multa Deus piis devotisque hominibus, exhibere voluit: tum in morbis tum aliis in calamitatibus. Ad hoc facellum singulis annis, fiato tempore solebat pedes venire Wenda, ipse Magister Livoniæ, tribus distans Ronburgo miliaribus: voti solvendi gratia. Hoc tam celebre miraculis facellum, in hoc intestino bello cum Ordine suscepto, quia sub ipsa arce constitutum erat, ne hostes latibula in eo quærent, arcique nocerent, iussu Archiepiscopi diruitur, atque ex ruderibus illius, turris robusta satis, pro munitione arcis extruitur. Hæc turris confecta, aliquot annis existens, sponte ad ipsa usque fundamenta corruiit. Apparet sane, nec rudera,

quæ facris in ædibus semel Deo dicata atque consecrata prophanis vsibus inservire posse.

Simile quid Felini accidit, ibi namque sacellum D. Catharinæ dicatum, atque pro sepultura Crucigerorum extractum sub arce valde elegans. Illud Fürstenbergii jussu cum Moschus Narviam & Dorpatum occupasset, timens ne arci nocivum esset, diruitur. Cujus sacelli rudera impetravit a Fürstenbergio quidam civis felinensis, qui ex illis ædificabat lapideam: cujus parietes adhuc extant. In hac lapidea, cum habitare cœpit Dominus, qui eam exstruxerat, cœcutire cœpit vna cum conjugē, & visu privatur: qui cum secretam miraretur Dei vindictam, vendidit domum alteri. Emptor autem cum inhabitare cœpit, parimodo cœcitate punitur. Et sic in hodiernam usque diem deserta manet, etsi restaurari facile posset: nullus namque audet illam in possessionem accipere.

Rigæ vero hujus Marchionis tempore, non modo admiratione sed & memoria dignissimum accidit, quod paucis referam. Vulgus in civitate quod ab initio petulantissimum fuit, & nunc est, cum jam hæresin acceptasset, & ex libertate novæ Religionis sibi licere omnia putabat, incitatum a ministris quinti Evangelii, persuadentibus plebi, papistas Sanctorum imagines, quarum magna copia fuit, tam in templis, quam in domibus devotorum, Deorum loco coluisse,

meramque esse Idololatriam, hunc sacrarum imaginum cultum, cum Deus præcipiat: Non facias tibi sculptile: [sub hoc namque prætextu Dæmon callidus, Sanctorum est conatus memoriam, ex hominum mentibus eripere.] Omnes iccirco imagines Iconoclastarum more vndique colligentes, in montem vnum ante civitatem, dictum Kubbisberg comportant & comburunt. In cathedrali vero Ecclesia Rigæ, Divæ Virgini dicata sub titulo Assumptionis, Altare magnum, artificioso sane opere, magnisque sumptibus extractum, tum temporis, cum alias imagines & altaria violarent, ob elegantiam operis mansit intactum. Sed quid? Nam post paucos dies, (neque enim & hanc insatiabilis populi furor & rabies, ferre diu potuit,) effigiem beatissimæ Virginis ex altari eruentes, multis scomatibus Dei Genitricem proscindunt. Vocantes sagam lamiam & his similibus improperiis: objicientes, fat diu veneratam fuisse ab iis, tanquam defensoricem: cum tamen nihil auxilii sentissent, per eam affecutos. Jam autem tempus adesse lucis, ut errorem deponant, veritatem agnoscant. Cum hæc aliæque plures id generis contumeliæ proferuntur, exclamat quidam ex plebe: Eia age inquit, probemus num saga sit, sciatque incantare? Alter mox afferens funem, alligantes collo imaginis, magno clamore ac strepitu deferentes ad fluvium Dunam, in aquas ut natantem sagam projiciunt. Imago autem quæ

lignea, super aquas hærens ab iisdem calumniatoribus extrahitur, acclamantibus omnibus, eam veneficam esse, ideoque iustum fore ut veneficarum pœna mulctetur. Vnus vero eorum primipitius imaginem iam extractam aquis, aliis præferens ad locum, vbi aliæ prius iam vstæ fuerant, iubet alios ligna ferre. Nam ad littus Danæ strues lignorum plurimæ solent esse civium, ibi jam magno cum applausu, ut sagam & lamiam flammis absument. Verum mirabili sane modo, Deus suum, suæque benedictæ Matris despectum non post multo vlcisci voluit. Nam post mensem vel alteram, subsecuta est vindicta. Inter arcem & civitatem rigensem, habitabat tum temporis, quidam Lambertus Vrader, insignem habens lapideam, qui in festo Assumptionis B. Virginis braxabat Cerevisiam, more Rigensium. Pendebant autem in Camino vbi braxabatur aliquot succidia lardi, quæ fumabat hospes. Braxatores nimium supponentes ignem Cacabo, lardum incendebatur. Et vi flammæ vehementioris per caminum superius effertur. De repente autem orta tempestate valida, ignis devenit ad locum, vbi Rigenses picem taxare soliti, qui non procul aberat, incenduntur aliquot centena vasa picis, quæ extinguere erat impossibile, magnum intulit Rigensibus incendium, ita ut permultæ domus tum exustæ. Neque id pro vindicta sufficiebat: nam cum lardum illud

accensum, vti dixi per caminum evolare: nescio quis malus genius, cum ista tempestate tulit fuccidium lardi accensum, in ipsam summitatem pinnae templi cathedralis, quae erat tecta lamina plumbea, vti & ipsum templum. Cum igitur ardere coepisset, nemo ob altitudinem turris, ad ignem facile accedere poterat: praeterea plumbum ab igne liquefactum, stillat desuper vt aqua, non permittit vlllo modo vt extinguatur, donec templum totum, cum turri exustum simul, ultionis divinae signa praebere certissima. Turris vero debilitata, corruens, lapideas multas accendit, concutit, exurit. Tum Rigeneses advertere poterant, lamiam ne an sacram Dei genitricis effigiem combusserant? Vt enim igne peccatum fuit: sic igne puniti sunt.

Fertur & illud pro verissimo de Marchione Archiepiscopo, quamvis videatur ridiculum. Marchio quippe qui non modo non consecratus in sacerdotem & Archiepiscopum: verum secularem agens vitam, computationibus, choreis, aliisque ineptiis addictus, cum esset Pebalgæ in arce sua, plurimos habens hospites nobiles tam viros quam foeminas, circa vesperum ante solis occasum, jam hilaris ipse Marchio choreas ducere coepit, cum praecipua quaedam foemina, Domina a Pürckel: subsequenter viginti aliquot paribus, nobilium & aulicorum. Ecce e regione

arcis, mons est rotundus & eminens, qui olim fuit Lothavorum propugnaculum. In hoc monte conspiciuntur aliæ choreæ, eodem in habitu, iisdem personis & musica; uti Archiepiscopus expederat in arce. Quod cum ei ex fenestra palatii ostenditur, intelligens se propter ineptias a Dæmone illudi, inquit, siendus est nequam, vult namque post tot pœnarum misérias etiam aliquantulum exhilarari.

Nec illud de fastu nobilium feminarum earumque luxu in vestibus prætereundum. Nobilis quidam ex præcipuis Livoniæ, Joannes Tö d v e n nomine, vir alias probus & simplex, hæreditario jure possidebat arcem R i n g e n in derpatensi districtu, qui duxerat uxorem ex familia Tisenhausiorum, fœminam quoque divitem: quæ eum unicam ex marito haberet filiam, opibus affluens, meditabatur filiæ suæ, in qua vnice delectabatur, eo sumptu & artificio vestes comparare, ut illi similis non haberetur. Comparatis iccirco quæ ad materiam & sumptum spectabant: dein cogitare cœpit de artifice, qui opus dignum filiæ suæ & artificiose & sumptuose conficeret. Cum se in Livonia factorem tam peritum reperire posse dubitaret, in ulteriorem Germaniam scribit, ut inde quis adduceretur qui & acu pingere artificiose & auro gemmisque texere vermiculate posset.

Quo tandem reperto, cum ille tam longe petitus magister adductus, illa gratulabunda excipit, quærit num sciret filia suæ vestes suere, quales illi pro placitu suo laudare posset. Artifex intelligens foeminae factum, respondit pompose, vti plerique Germanorum mos est. Scio & me hercule ipsa laudabis: nam tales conficiam tuæ natæ vestes, ut diabolus etiam suos cachinnos continere non poterit. Quod tandem evenit. Nam sartor assumptis tribus sociis eodem in artificio peritis, integro anni spatio unicum habitum elaborare contendit, quem vix tanto temporis intervallo confecit: adeo ut ipse sartor absoluto opere ex subtilitate picturae & ligaturæ cœcutiret. Tandem perfectis vestibus, mater filiam ducit in conclave, fores claudit, ne alius subintraret, & impediret, cum filiam in tam splendidis vestibus ornare vellet. Itaque cum multum temporis in ornando consumsisset: & filia ante speculum se ipsam contempleretur, & admiraretur. En auditur in conclavi cachinnus insuetus, ex quo mater & filia consternata, vix erumpere præterrore ex cubili sciunt, palpitantes & trementes: nesciunt quis & qualis risus auditus insuetus in conclavi, cum tamen nemo præfens fuerit, referunt. Sed sartoris oraculum impletum quis dubitet? Verum illud magis mirandum, quod eadem mater cum filia, postquam Moschus derpatensem depopulasset districtum, Rigæ in

tanta sint mortuæ ægestate & ignominia, vt se a vermibus & pediculistueri non potuerint. Sic nimius luxus, nimia mendicitate & inopia expiatur.

Hujus Archiepiscopi tempore & illud memoratu dignum Rigenses præstiterunt. Expulsis enim vndiqve ex Livonia sacerdotibus catholicis, vti superius insinuavimus, qui nec novam amplecterentur hæresim, nec incestuosa appetrent connubia. Remanserat Rigæ senio jam confectus sacerdos, nullam sciens in Livonia conditionem, hic vt mendicus inter notos suos vt poterat se sustentabat: hunc sufferre nolentes rigenses, aliquoties a senatu monitus, vt vrbe cederet, qui parvi faciens monita, eo quod nullius esset sibi mali conscius, putabat enim sibi ob id nihil evenire posse adversi. Cernens senatus se ab eo sperni, clam sacerdotem senem capere, inqve profundissimum carcerem conjicere mandat. Ubi per menses aliquot delitescens inedia conficitur. Ultimo vero cum illum publico decreto ad mortem condemnare non aufint: hoc astu eum e medio tollere, non sine magno cruciatu, statuerunt. Jubent pro illo opiparum parare prandium, eiqve in carceribus offerre, qui cum acceptasset, ratus bonum sortiri finem hanc molestam ejus captivitatem, vt famelicus erat, bene ex eodem prandio vescitur. Et vt negotium dolo careret, avidiusqve sumeret cibum, porrigitur

illi quoque cantarus haud parvus arena impletus: Ille existimans sibi potum in cantaro allatum, secure comedit: Et cum bene satur, accedit ut sitim extinguat, reperit fraudem latuisse sub tam lauto prandio, siti per dies aliquot cruciatur, adeo ut præ nimio cruciatu, etiam corpus proprium dilaniare cœperit, donec hoc novo martyrii genere exhaustus, ex hac vita migraret.

Conlopito jam intestini belli odio, inter Marchionem & Fürstenbergium, Moschus tamen Livoniæ arces sibi vindicat, atque cum plures subegisset, Fürstenbergius hosti resistere nequit, Felinum se confert ibique se ob munitionem loci & arcis tutum fore putat. Ubi cum sedem fixisset, illud sane mirabile contigit. Felini namque cœnobium est ordinis D. Bernhardi, ex quo nec dum erant ejecti religiosi, uti alibi. Reperit autem Dæmon artem qua & illos inde exturbare posset. Cum itaque licitum erat libere, ac sine pudore, qui vellet ex claustris, ipsius Lutheri exemplo erumpere. Inveniebatur in eodem monasterio talis quoque frater, qui castitati valedicens, ex ovili Christi in haram Diaboli fugere meditabatur. Accedit hic Fürstenbergium Magistrum, petens ut posset in aula ejus agere aulicum. Fürstenbergius uti hæreticus, facile hujus tam justis annuens petitis, quid flagitat Apostata, ultro concedit. Existimabat forsitan

hunc perjurum monachum, magnum fore aulae suae ornamentum: statuit diem certum quo publice Ordinem suum abnegaret, in templo ejusdem Monasterii, & suum habitum monasticum in aulicum commutaret. Curat ergo Magister pro stato die, aulico suo futuro vestes fieri, sat splendidas. Verum cum jam dies ille huic monacho quidem optabilis, cujus tamen exitus erat miserabilis, lucefcere cœpisset: Cæteri omnes religiosi more solito ante lucanum tempus, matutinas Deo laudes solvunt, præter hunc, qui jam pertæsus precum, meditabatur, quomodo mundus scilicet posset ex cœnobio ire in mundum immundum. Ingreditur caveam fornacis subterraneae refectorii, vbi calefiebat, [erat enim tempus quadragesimæ] vt per calorem ignis, contractos ex cuculla pediculos ejicere posset. Certando igitur cum animalculis, nescio interim quis homo ne an alius? januam ad orificium caveae fornacis, vbi fumus ascendebat, clausit. Cavea de repente fumo repleta, monachus inclusus elevare volens januam, diu se torquet in fumo, quæ cum gravior esset, quam vt ab illo levare queat, fumo suffocatus extinguitur. Reliqui hujus mysterii inscii fratres, casum hunc sui confratris non cito advertunt. Dies jam elucescit, hora adest sacri majoris, famuli Magistri ante fores Ecclesiae, præstolantur monachum cum habitu aulico, qui cum non compareret,

sciscitantur famuli, vbinam esset, quæritur in cellis hinc inde, cum non reperiretur, putabant monachi eum fugisse. Servi Fürstenbergio referunt non comparere monachum istum in monasterio, miratus Fürstenbergius cum ignorat vbi manserit. Hora adest prandii, Inservitor mentæ refectorium ingreditur, vt præparet pro prandio. Is cum aperiret foramen fornacis, quo calor ascendit in refectorium: En recentioris assaturæ odor totum implet hypocæustum, qui cum quadragesimam sciret, miratur quid fiat, aut quisnam carnibus vesceretur, rei ignarus, indicat Gardiano, qui statim lustrare jubet loca omnia, non cito advertens, ex fornace odorem provenire, jubet caveam aperire, vbi invenerunt, prædictum monachum bene tostum expirasse. Perterrefacti fratres, Gardianus Magistro Fürstenbergio negotium aperit. Fürstenbergius omnino persuasus ex malitia, cæteros eum in caveam injecisse, vt fumo suffocaretur, iratus Monachos ex cœnobio expellens, hujus sui aulici mortem vindicare statuit, dato tamen rumationis (*discessus*) tempore triduo. Tertia vero cum adesset dies, monachi exsolventes horarum debitum, ordinarius concionator eorum pro valedictione concionem habet, cui cives, aulici, imo ipse Fürstenbergius interfuere: audientes quid pro discessu eis diceret. Concionator aptam tempori materiam ex sacris literis sumens. Deut. 30. *Testes invoco*

*invoco hodie cælum & terram quod proposuerim tibi vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum.* Et alibi: Deut. 28. *Servies inimico tuo, quem immittet tibi Deus, in fame & siti & nuditate & omni penuria: & ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. Adducet Deus super te gentem de longinquo & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis, cum impetu, cujus linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli. Et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas. &c.* Hic similia multa ex sacris allegando, exaggerando illorum mores, pravos corripiendo, & religionis antiquæ desertionem objiciendo, permulta sane divino instinctu & zelo pietatis commotus, in illa concione Livonibus prædicere visus, quæ revera suum sortita sunt eventum. Nam inter cætera & illud notatu dignum Fürstenbergio, futuræ calamitatis indicium reliquit: (quod ab iis qui huic concioni interfuere, hominibus ætate proVectis, atque fide dignis didici) videlicet fore tempus, quando præ angustiis, mortem quæsituri essent, eamque tum ab illis fugituram. Vti etiam experimento ipso non multo post, Fürstenbergius id ipsum non sine magno suo dedecore didicit. Nam cum Moschus Felinum obsidione cinxisset,

& milites conspirantes deditioem molirentur: quamvis nullam adhuc hostis vim paterentur, siquidem absque tormentis grandioribus Moschus advenerat. Fürstenbergius thesaurum suum & omnem supellectilem argenteam, pedibus exponendo, obsecrat, ut saltem arcem tuerentur, nec absque necessitate munitionem adeo firmam Tyranno dederent. Pedites posthabitis Fürstenbergii & pecuniis & precibus, cum Moscho pactum ferunt, ut deditioe facta illis liberum esset abire quo vellent, & ut illis quidquid secum absportare possent concederetur. Fürstenbergius in talibus terminis constitutus, desperans, aureos mille circumferens secum, Tyrannidem crudelis principis extimescendo rogat supplex [offerendo pecuniam interficienti] ut eum aliquis interimeret, nemo tam facinoroso scelere manus contaminare volens, cum arx ab hoste occuparetur, Fürstenbergius capitur, & misere pedes incedendo juxta equum suum, cum summa ignominia in Moschoviam ducitur, ubi sub Tyrannide moschica, una cum derpatensi Episcopo ultimo, vitam finiunt in captivitate. Pedites vero proditores Domini sui cum dispersi per Livoniam vagantur, jussu Gothardi Ketleri, qui Fürstenbergio in Magisterio successit comprehenduntur, alii rotis imponuntur alii furcis adjudicantur.

## GOTTHARDUS KETLER.

## XLVI ET VLTIMUS MAGISTER LIVONIÆ

ANNO 1559 posteaquam Fürstenbergius in captivitate abductus, Magisterium devolvitur, in summo jam Livoniæ discrimine ad Gothardum Ketler, qui Cruciferorum Ordini coronidem imposuit. Is primus & vltimus ex omnibus Livoniæ Magistris, contra Ordinis sui instituta, uxorem duxit matrimonium contrahendo, cum Ducissa Mekleburgicæ familiæ. Hic collecto non parvo milite, confliat cum Moschis, sesquitertio milliari Derpato, victoriam reportat: cæcis tum 5000 Moschorum. Moschi magna suorum strage perculsi, in fugam convertuntur: adeo ut etiam civitas & arx Derpatum ab iis destituta fuerit, facileque recuperari potuisset, si hostem usque ad mœnia insecuti fuissent.

Eodem tempore Ketler, Ringen & Randen nobilium arces, a Moschis occupatas, expugnat & diruit: parimodo obsidet Taurum, expugnat & diruit. Sequenti vero anno Moschus collecto exercitu, circa festum trium Regum, Livoniam invadit, occupat primo arcem Marienborch, per deditorem Capitanei ibidem Gasparis a Sibirgen: Alias quoque munitiones Livoniæ, sine difficultate, magis metu, quam vi sibi subegit. Depopulata autem Livonia, etiam

Curoniam invadit, vastat igne & gladio, maximamque prædam reportat.

Hoc eodem anno videlicet 1560 in festo Paschatis appulit Arensburgum Dux Magnus filius Christiani Regis Daniæ, & frater germanus Friderici secundi Regis Daniæ: Et possedit Episcopatum oseliensem & Curlandiæ, quem Episcopus oseliensis Johannes Mönninkhausen Regi Daniæ, ut ei patrocigaretur, obtulerat. Cujus exemplum imitatus Mauritius Wrangel Episcopus Revaliensis, qui suum Episcopatum parimodo Regi Daniæ dicavit. Verum cum hoc loco Magni Ducis Holsatiæ mentionem faciendi se offerat occasio, operæ pretium facturi, si hujus Magni Ducis vitam & facta paucis perstringamus: cætera vero notatu digniora de illo, suis in locis reservaturi. Ex regia quippe uti diximus Danorum oriundus prosapia Dux Magnus, a parentibus nascitur catholicis, nec dum enim Dania hæresum erroribus infecta erat ut nunc. Natus namque annum circiter 1540. Mater Regina Daniæ, femina Deo devota, cum peperisset eum, ab obstetricibus post partum præmonita, eam quidem genuisse, sed indifferentem partum, præterea Naturæ portentum & monstruosum, quippe qui vno orbatus lumine, sexus esset utriusque & pedem haberet unum ad instar anseris. Præfagiens mater, hunc monstruosum partum, nihil aliud,

quam catharina mundi aliquod fore, jubet illum in mare abjicere. Huic consilio proceres regni minime assentientes svadent, nutricibus educandum dari: Deoque committendum si quæ adversa acciderint. Svasibus his ægre annuens mater Regina, educare tamen jubet, quæ cum consolatione quilibet intelligit parentum pius. Mater post annos aliquot alterum pariens, majori tamen, quam priorem solatio filium Fridericum. His duobus filiis jam ferme adultis post se relictis, primo mater, postea quoque ipse Rex vterque diem suum obeunt, annis aliquot interlapsis. Defunctis parentibus in comitiis regni, Proceres de eligendo & coronando ex his duobus hæredibus regni deliberant. Magnus Dux major natu, ut naturæ portentum, omnium consensu, tanquam haud idoneum scepro rejicitur. Minor natu frater, Fridericus secundus Rex inauguratur. Qui Magnum fratrem, data pecuniarum summa non exigua ablegat ex regno, Oselium cedit illi Episcopatum, qui parenti eorum oblatus, ab Episcopo oselienfi Mönninghausen, & aliquot arces in Semigalia, ad eundem Episcopatum spectantes. Oselienfes autem parvi facientes Ducem Magnum, ob vitam & mores hominibus exosos, cum etiam Moschum scirent occupasse, magnam partem Livoniæ sibi que ab eodem hoste periculum imminere, neque se a Magno defendi posse.

Confugiunt iterum ad fratrem Magni, *Friedericum* secundum Regem Daniæ, rogantes ut eis suppetias ferre velit, si a Moscho laceffiti fuerint: Itaque ab *Oseliensibus* Magnus repulfus, solis suis arcibus in *Curlandia* contentus esse cogitur. Aliqvot ab hinc annis Dux Magnus persuasus a suis adhærentibus nobilibus, inter quos præcipuus fuit ejus Minister & Superintendens quidam *Christianus Schraffer*, vir versutus & callidus [cujus mentionem suo loco facturi] quem Magnus ut plurimum consulere & audire solitus, nam hic rabula etiam in consiliis a Duce adhibitus fuit, ut se ad Moschum conferret, eumque de occisi fratris sui filia, quem ipse Moschorum Dux peremerat, ut eam illi matrimonio locaret, sollicitaret. Annuuit Moschus, cum sciret eum ex regia domo natum, jubetque eum per suas ditiones *Livoniæ* regem proclamare. Pro dote vero, arces *Livoniæ* a Moscho occupatas ei assignat, committitque exercitum suum ut reliquas *Livoniæ* civitates Dux Magnus occupet, ac pro se vindicet, hac lege tamen, ut potiores munitiones ac civitates utpote *Derpatum*, *Wendam*, *Wolmariam*, &c. Duci *Moschoviæ* reservaret, eumque pro Patrono & Domino fateretur. Sub hoc prætextu Magnus, a Duce *Moschoviæ* missus, cum exercitu redit in *Livoniam*, ut arces nec dum occupatas a Moscho, sibi subjugaret. *Livones* vero hac spe seducti,

vltro se dedunt Magnō, ejus juramentum præ-  
 stant. Malebant enim se subdere Principi suæ  
 nationi non peregrino, quam inmani Tyranno.  
 Verum Magnus Dux Holsatiæ non hæ-  
 rens in terminis suis, provt cum Duce Moscho,  
 viæ convenerat, solus vult dominari Livoniæ.  
 Intelligens iccirco Moschus, se ab affine illudi,  
 bellum indicit Magnō, de novo arces quas ces-  
 serat Magnō recipit, & qui Magnō fidelita-  
 tis juramentum præstiterant, capite plectere jussit.  
 Sub Ascherot, Sesswegen, Wenda, magis ad  
 tria millia nobilium eorumque uxores & filias  
 Scytis & Barbaris prostituendas concessit. His  
 a Moscho crudeliter perpetratis, Magnus do-  
 minio suo in Livonia privatur, quo non longe  
 potitus, ad extremum cum conjugē in Semiga-  
 liam revertitur, reliquum vitæ, inductus despe-  
 ratione, in comessationibus & ebrietatibus trans-  
 egit, non principem sed helluonem imitatus, vs-  
 que etiam a suis derelictus, in miseriis vitam fi-  
 nire compulsus. Verum hæc de Magni Ducis  
 vita sufficiant: Si tamen quæ adhuc notatu digna  
 occurrerint, suis in locis opportune inferemus.

Eodem anno circa festum Pentecostes, Moschus  
 depopulavit districtum Harrien, & arcem Fe-  
 geseur igne consumpsit: Sed in reditu nobiles  
 loci illius, nubiloso tempore, collectis nongen-  
 tis quinquaginta equitibus, incidunt in exerci-  
 tum moscoviticum, 6000 interficiunt. Æstate

vero Moschus cum magnis iterum copiis Livoniam invadit, quem Ordinis Commendatores atque Præfecti, qui adhuc superstites fuerunt, arma fumentes, sub Ermes hosti obviam procedunt, verum multitudine hostium offusi, cædentur, nonnulli in captivitatem abducuntur, in Moschovia perierunt.

Mense autem Julio, Proceres Livoniæ superstites, utpote Marchio brandenburgensis, Gvilielmus Archiepiscopus rigensis cum Coadjutore suo Christofofo Duce Mekleburgensi, Dux Magnus Holsatiæ, Gothardus Ketler Magister Livoniæ, cum pluribus equestribus Ordinis, præcipuis nobilibus, Pernaviæ conventum habuerunt, consultantes de præsidiis Livoniæ, quomodove hosti resistendum. Interim Moschus copiosissimo cum exercitu advenit in districtum Felinensem. Cujus adventum, cum hi Primates Pernaviæ formidarent, infectis rebus, trepide fugientes, disperguntur. Moschus autem exercitum dividens in tres copias, vnam mittit Wendam versus. Secundas cum tormentis & apparatu bellico mittit sub Album Lapidem, obsidet. Vbi tunc erat superior Gasparius ab Oldenbokum, qui se cum suis in arce mascule defendendo per quinque septimanas arcem obtinuit. Et cum hostis se nihil efficere posse adverteret, cum ignominia obsidionem solvit & discedit. Tertias vero copias destinat in districtum Wike, vastare depopularique

obvia quæque mandat. Idem facit in districtu Revaliensi, vbi sub ipsis mœnibus, homines & iumenta abducit. Unde consternati Revalienses, cum auxilium nullum sibi restare a Magistro Ketlero intelligant, mittunt Legatos ad Regem Sveciæ ejus nominis decimum quartum, Ericum qui eos in tutelam suscipiens, tuendo adversus Moschum, arcem & civitatem Revaliensem, annona militibus, tormentis aliisque necessariis munit. A quo tempore Revalia civitas, a Livoniæ dominio ad Sveciæ imperium devoluta est, anno 1560.

Postremo vero cum jam vix quid in Livonia reliquum esset, quod a variis non fuit direptum Dominis, uti relatum superius, præter solam Rigam: nam usque ad fluvium Dunam, Moschus ferme omnia occupabat. Magister Livoniæ Ketler, in angustiis situs, se Regi Sigismundo Augusto in tutelam committit. Livoniam totam Regi cedere constituit, ut eam ab hoste recuperet. Sibi reservando Curoniam & Semigaliam. Cujus quæsitus Rex annuens, patrocinium non denegat, Ketlero Magistro. Et ab hinc curam suscepit recuperandæ Livoniæ. Atque hac ratione cessavit in Livonia Cruciferorum Ordo cum suo Magisterio. Et mutato nomine, divisa est in duos Principatus, Livoniæ scilicet & Curoniæ: quorum primus a fluvio Dunæ, versus Æstoniam regius vocatur Ducatus: alter vero versus

Samogitiam, Ducatus Curoniæ dicitur. Quæ quidem Dominiorum immutatione facta in Livonia, cum alterius regiminis historiam referre statuimus, hujus secundæ historiæ nostræ parti, finem imponamus.

## PARS TERTIA LIVONICÆ HISTORIÆ.

**S**USCEPTA iccirco in tutelam Livonia, Rex Sigismundus Augustus, mittit ad Ducem Curlandiæ Gothardum Ketlerum, Nicolaum Palwaf Capitaneum Dunaburgensem, qui ab illo (si quidem dominio, juriqve suo in Livonia se abdicasset,) exigeret diplomata foundationis Livoniæ vetustissima, olim a summis Pontificibus, Imperatoribus, cæterisque Imperii romani proceribus Livoniæ Toparchis impertita. Quibus adeptis, Ketlerum ejusqve hæredes jus suum abhinc a polono Imperio petere debere in comitiis decernunt. Expeditur autem absolutis comitiis in Livoniam cum exercitu Nicolaus Radivilus Palatinus wilnensis. Et magni Ducatus Lithuanici generalis Campiductor cui adjungitur belli socius Joannes Chodkiewiczus, quem Rex, Livoniæ Governatorem constituerat, vir militaris & heroi proflus animi, ut Livoniæ reliquiis succurrerent & ab hoste Tyranno vindicarent. Verum discordia inter illos orta: cum alter ut Cam-

piductor generalis solus imperare vellet: alter vero vt Gubernator, cui Livoniæ cura singulariter commissa erat, disponere studeret, re infecta, cum in finibus Lithuanix & Curlandiæ per aliquot menses commorati fuissent cum exercitu, discedunt. Moscoviticus vero exercitus interim non ociatur, sub Wenda & Wolmaria omnia vastat. Alexander Polbinsky wolmariensis Capitaneus cum Moschis bis confligit, capit tum Woiwodam moschum, quem Regi remittit: interfectis haud paucis ex adversa parte.

Anno 1561 mense Julio Nicolaus Radzivilus Campiductor magni Ducatus Lithuanix, cum aliquot millibus sub Riga castrametatur, exigit a Rigenfibus vt juramentum præstent Regi Poloniæ, qui renuentes, pro responso dederunt, se romano imperio juramento obstrictos esse, a quo si liberi pronunciarentur, tum sat temporis fore, vt Regi Regnoque Poloniæ se submitterent. Excipitur tamen a Rigenfibus honorifice, & ad civitatem cum aliquot centenis equitibus intromittitur.

Eodem anno, Joannes Gustavi Regis Sveciæ filius, Dux Finlandiæ in conjugem ducit Catharinam, sororem Regis Sigismundi Augusti, qui deinceps a fratre Erico, vna cum conjugè captivatur, eo quod Joannes fratri Erico erat suspectus ob initam cum Rege Poloniæ affinitatem: siquidem Sigismundus Augustus Po-

loniæ Rex, cum Erico Sveciæ Rege ob similitates inter eos subortas, secum erant dissentientes.

Anno 1562 magno cum exercitu obsidet Pernaviam, Nicolaus Christiani filius, belli præfectus Erici Regis Sveciæ, qui vi arcem & civitatem pernaviensem obtinuit: a quo tempore Sveciæ Rex Pernaviam suo Regno adjecit. Qua obtenta idem belli dux cum exercitu suo Album Lapidem obsidet, & cum diu jaculatus fuisset, turris quædam continuis ictibus tormentorum debilitata, cui qui in arce fuerunt, pulverem tormentarium supponentes, cum Sveci turrim ascendissent & occupassent, ignari fraudis, accenso pulvere, omnes per tecta & tabulata ejiciuntur: tandem diuturna obsidione & fame pressi, cum suppetias nullas sperarent, arcem dedere cogitur Joannes Groll, Capitaneus ibidem a Rege Poloniæ ordinatus.

Anno 1563 cum Rex Sigismundus Augustus Petricoviæ occupatur in Comitibus, circa unionem Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuanicæ, Moschus interim cum exercitu copiosissimo obsidet civitatem Poloczka, & igne tantopere angustiavit, ut ad extremum eam expugnaverit & occupaverit: possedit annis 16 donec a Rege Stephano recuperatur anno 1579.

Eodem ferme anno: Christophorus Dux mekleburgensis, Coadjutor Marchionis Archiepiscopi rigensis, post obitum sui patroni, confugit

ad Regem Sveciæ Ericum (immemor prioris beneficii, cum antea jam semel opera Sigismundi Augusti cum Marchione ex captivitate liberatus) impetrando ab Erico aliquot vexilla peditum, in ditrictum rigensem perrexit, opinione inductus, vt Episcopatum rigensem, cuius ille Coadjutor extiterat, sibi usurparet: sed spe frustratus, secundo in captivitatem ducitur in Poloniam, per Gothardum Ketlerum Curoniæ Ducem, vbi quinquennio detinetur.

Hoc ipso quoque anno 1563, Rex Ericus arcem Karkhaus, quod Joanni fratri ejus Duci Finlandiæ, a Rege Sigismundo Augusto ratione dotis collatum fuit, per prodicionem occupavit, nec illam Regi Poloniæ, neque fratri cedere volens, sed regno Sveciæ adjudicavit. Hapsel quoque arcem episcopalem, quam Dux Magnus a fratre Friderico possidebat, Sveci expugnarunt: Et spoliato ibidem templo cathedrali, diripientes thesaurum Ecclesiæ cum apparatus facris, etiam campanas secum absportarunt, ex quibus tandem Revaliæ tormenta bellica conflare curarunt, quæ deinceps non multo post, ad Polonorum manus devenerunt, vti hic inferius referemus.

His auditis Sigismundus Augustus collectis copiis, adversus Ericum Sveciæ Regem, bellum ei indicit, lustratur exercitus Caunæ in Lithuania per Marchionem Albertum, Ducem Prussiæ,

de quo exercitu cum Sveci rescivissent, tum temporis enim arcem Lode obsederunt, habentes secum eadem tormenta, quæ confecerant ex campanis sex grandiora, & aliquot minutiora, per octiduum jaculantes. Interim dum sic occupantur, exercitus polonus adventare cernitur. Sveci mox fugitivi, quantocius Revaliam pergunt, relictis in discrimine tormentis. Ex quibus Rigam abvecti, quatuor Monachi, Canis unus, & Cantatrix, sic enim eadem tormenta a Svecis inaugurata erant: reliqua pulveribus disrupta. Quo tempore belli præfectus fuit Curlandiæ Dux Ketlerus.

Hoc quoque anno, quidam Joannes ab Artz, qui se finxerat comitem esse illius loci, Ducis Finlandiæ Joannis locum tenens, in arcibus Livoniæ, a Sigismundo Poloniæ ei collatis, mortem fingens sui principis & patroni, in captivitate, apud Ericum fratrem, Regem Sveciæ, arces illas requirit sibi que vendicat, accepta sibi in auxilium aliqua militum manu a Magno Moschorum Duce. Qua fraude cognita capitur, & Rigam abducitur, vbi tandem publico decreto condemnatus, candentibus forcipibus in foro disceptus.

Anno vero 1565 mense Aprili civitas Pernavia, ab Equitibus germanis, qui tum Regi Sveciæ Erico nomina sua dederant, Pernaviæque in civitate commorantes, eo quod a multo tempore

solutionem suam non acceperant, nec cito sperabant se accepturos, conspirantes cum iis, qui partes Polonorum tuebantur, & in Salis per hyemem degabant, furto ablatis clavibus ex domo Consulis, per proditorem Regi Sveciæ iterum eripuerunt: interfectis Svecis qui in civitate fuerunt. Illi vero qui in arce morabantur, per sex septimanas se defendendo cum suppetias nullas sperarent, arcem deserere coguntur. Quo anno, mense Augusto, mille equites germani, ex variis districtibus congregati, Revaliensem districtum depopulantur: qui cum castra fixissent non procul Revalia, existimantes se tutos fore, a Revaliensibus, Gubernator svecicus Henricus Nicolai, cum non parvo milite, nocturno tempore, ex civitate irruptionem fecit in castra eorum, quos cum secure dormientes reperisset, facile in fugam convertit, captis & interfectis quam plurimis

Anno 1566, nascitur Sigismundus filius Joannis Ducis Finlandiæ, (postmodum Rex Poloniæ & Sveciæ) in captivitate. Sub Erico Rege Sveciæ ejus nominis decimo quarto.

Eadem hyeme prædictus Gubernator Regis Sveciæ Henricus Nicolai, Pernaviam iterum obsidet, sed absque tormentis, cum totam hyemem sub civitate consumpsisset, nihilque profecisset, discedere cogitur. Inde cum exercitu tendit Oselium: Ibi vero dum se occupant deprædationibus Sueci: Polonicus exercitus interim,

qui pernauiensibus suppetias ferre ad venerat, cum intellexisset Suecos obsidionem soluisse, eos in reditu præstolatur, habitaque cum Suecis pugna, magnam eis prædæ partem extorserunt.

Anno 1566, Livonia magna peste premitur, vt inaudita hominum clades fuerit subsecuta. Ferunt, qui hisce temporibus superfuerunt, vix vnquam tam crudeliter, iis in partibus pestem fuisse grassatam: sic pro dolor, Livones miseri a Deo & ab hostibus extinguuntur.

Anno sequenti tempore brumæ, novus quidam belli præfectus sueticus nomine Nicolaus Kurfel, Livo genere, sortem suam quoque in Polonos experiri volens: cum copiis sueticis clam Lemselium properat: ubi tum temporis soli degebant Poloni, qui ignari de adventu Suecorum facile ab eis circumvenire se permittunt. Itaque Sueci incautis Polonis arcem invadunt, & sine molestia occupant, interfectis ibidem haud paucis, qui in arce fuerant. Itaque præda ablata haud parva Revaliam reuertuntur, oppido exusto. Verum haud multo post, Poloni ultæ suam injuriam cum sænore. Nam collecta non parva militum manu in Åstthoniam pergunt. Quo audito Gubernator sueticus, cum prædicto belli præfecto Nicolao Kurfel, in occursum eorum, cum suo milite properant. Congressi itaque in finibus Pernaviæ, committunt prælium sed non  
fatis

**fatis felici Marte.** Nam a Polonis mox in fugam convertuntur, fugientes autem in profundis nivibus equites svecici hærere cœperunt, itaqve facile cæduntur a Polonis: pedites quoque omnes ferme perierunt: Rotmagister Joannes Maidel capitur: ipsi belli præfecti vix effugerunt: perierunt Svecorum duo millia: i nunc & experientia fortunam in Polonos, cum ab iis non fueris lacessitus. Conflictus hic habitus anno 1567.

Anno eodem Comes Joan. Chodkevicius, Livoniæ Gubernator cum exercitu Rigam venit, & cis Dunam propugnacula extruxit, ut navigium prohiberet Rigenfibus, ut sic ad præstandum juramentum Regi Poloniæ, Rigenfes adigerentur: Verum pertinaces Rigenfes in proposito, his minis adigi non poterant. Iccirco re infecta discessum parat.

Anno 1568 Ericus Rex Sveciæ, matrimonium contrahit cum pellice sua Catharina, quam futoris filiam fuisse, nonnulli asserunt: sed ob formæ venustatem ab Erico Rege adamatam, adeo, ut etiam stirpis suæ immemor, eandem in Conjugem sibi & Reginam adoptârît. Verum omnino non satis felici, nam hoc conjugium Ericum regno exiit, exitiumque attulit, uti inferius patebit. Nam eodem plane tempore, Ericus Rex sororem suam Sophiam, Gustavi Regis filiam, Duci Saxonæ Magno matrimonio locârat: nuptiæ regali fastu simul instructæ: sed ordine

præpostero, cum futoris filia, filia Regis Gusta-  
vi, & sororis Erici ac Joannis præfertur: eo quod  
illa Regina Sveciæ futura: hæc vero principi in  
conjugem data. Quæ res magni uti diximus  
mali causa extitit Erico. Nam Joannes Dux  
Finlandiæ conspirat cum fratre juniore Carolo  
Sudermaniæ Duce, postquam ex captivitate  
iam liber fuerat, ac aliis regni primatibus, hunc  
suum & sororis imo totius Regiæ stirpis despe-  
ctum ulciscendo. Colligunt exercitum, obsi-  
dent Stokholmum, ubi regia sedes, qua in vr-  
be, cum Ericus obsidione premitur, milites ejus  
sensim ab eo deficiunt, & cœperunt adhærere  
fratribus Regis. Derelictus itaque Rex a suis,  
dubitat de salute, & inter angustias positus, ju-  
niori fratri Carolo Sudermaniæ Duci sese dede-  
re deliberat, petendo duntaxat competentem ca-  
ptivitatis locum. Advertito quæso repentinam  
Regum & Principum mutationem, variumque  
fortunæ eventum & casum mirabilem, in his  
fratribus, qui primo Rex, fratrem captivum te-  
nebat, is a fratre vicissim regno privatur, & apud  
eundem pari modo in captivitate ad finem usque  
vitæ delitescere cogitur. Discant igitur principes,  
moderate uti fortuna, cum illis fiat aura secunda.

Anno 1569 decima die Julii, inauguratur & co-  
ronatur Joannes Dux Finlandiæ affinis Sigismundi  
Augusti, in Regem Sveciæ, unanimi tam pro-  
cerum, quam populi consensu.

Anno 1570 Magnus, Dux Holsatiæ & frater regis Daniæ vti superius diximus, ad Ducem Moschoviæ proficiscitur, instinctui Ministri sui Christiani Schraffer, suorumque aulicorum, qui honorifice a Moschorum Duce prima fronte excipitur, iubet illum in suis ditionibus Livoniæ Regem proclamare, locat illi fratris filiam in matrimonio. Verum horum omnium superius facta est mentio, iccirco illa repetere supervacaneum existimo. Illa duntaxat quæ ab illo in Livonia patrata, cum a Duce Moschoviæ in Livoniam mittitur cum exercitu numero 25000, vbi promiscue Livones nobiles, cum Moschis fuere conjuncti, referre non erit importunum. Omnium primo igitur Dux Holsatiæ Magnus, cum tam ingenti exercitu Revaliam obsidet Anno 1570 die 21. Augusti. Ibi moratur per octo menses, cum neque per literas neque minis aut terroribus, quicquam apud Revalienses efficere posset, non sine dedecore obsidionem solvere, & ante lucanum tempus castra sua inde movere compellitur. Hoc anno quoque dum Moschus exercitum suum habet sub Revalia & Moscovia ipsa milite destituta, Scytarum Præcopensium exercitus Moschoviam invadit, vastat, depopulatur, & ipsam Metropolim incendio conflagravit.

Hoc ipso anno Georgius Farensbach Rotmager, a magno Moschoviæ Duce, pro milite germano conducendo adversus Tartarorum expe-

ditur: qui etiam in prædicto periculo Moschovizæ Duci magno fuerunt adiumento.

Anno 1572 moritur Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, cui in regno succedit Henricus III Galliarum Rex, vti inferius dicemus. Circa idem tempus Dux Holsatiæ Magnus, cum præ pudore in Moscoviam revertere non fuit ausus, eo quod Revaliam non occupasset, cum tam ingenti exercitu, Oselium perrexit. Moschovizæ Dux autem mittit mille Moschos cum Germanis, vt Magnum in Moschoviam revocarent, verum timens de corio suo, non nisi post aliquot menses Duci Moschovizæ comparere voluit.

Anno 1573 ipse Moschorum Dux cum exercitu 80000 in Æsthoniam perrexit, primo *Album Lapidem* vi occupat. Deinde exercitum dividit in tres copias, quarum vnas mittit versus Karkhaus expugnat & obtinet, alteras destinat vt districtum Wikedepopulentur. Cum tertiis revertitur Novogardiam vbi per tempus aliquod commoratur. Deinde in Moscoviam vltiorem pergit, ibique Duci Holsatiæ nuptias instruit, locat illi fratris filiam matrimonio quibus ipse Dux Moscovizæ, cum duobus filiis interfuit.

Anno 1574 Henricus Galliarum Rex venit in Poloniam, coronatur rex Poloniæ Cracoviæ 25 Januarii: fugit ex regno 18 Junii: interregnum durat ferme triennio.

Anno 1575 Moschus colligit exercitum suum sub Wefenberg, inde pergit Pernaviam, obsidet,

tormentorum vi & armis occupat, perdit tamen sub mœnibus septem millia ex suis. Huic militi præficitur iterum Dux Magnus. Cujus terrore perculsi Livones cæteras munitiones minutiores ei vltro dedunt. Vtpote Helmet, Ermes, Ruien &c. Autumno vero sequenti, nobiles Livoniæ circa Rigam cum Duce Curlandiæ, collectæ aliqua militum manu Duci magno prædictas arces eripere conantur: Verum præter solam arcem Ruien nihil obtinuerunt.

Anno 1576 Rex Stephanus Bathoræus, Transylvaniæ princeps, Cracoviæ, rex Poloniæ inauguratur feria tertia post octavas Paschæ. Quo anno Moschus, mittit iterum in Livoniam exercitum Tartarorum & Moschorum 6000, qui in districtu Wike munitiones & arces, Lode, Leal, Fikkel, absque obsidione occuparunt, parimodo ceperunt & Hapsal. Quibus adeptis pergunt Oselium, vastant & magnam secum prædam hominum & jumentorum abigunt.

Anno 1577. Rex Stephanus exercitum colligit, obsidet Gedanum, vbi cum per aliquot menses commoratus, Gedanenses confisi viribus suis, mittunt suum militem ex vrbe, vt irruptionem faciant in Polonos: verum conflictus hic cum Polonis Gedanensium, longe alium quam ipsi sibi fuerant polliciti, fortitus est eventum, nam qui Polonos se sperabant cæsuros & captivos ducturos, hi ipsi a Polonis cum infamia mox

in fugam aguntur, cæduntur 4427, occubuerunt tantum ex Polonis 58.

Eodem anno, Moschus secunda vice Revaliam obsidione longatqve molesta affligit, inchoando a die 23 Januarii, vsqve ad diem 13 Martii: cum copiosissimo exercitu videlicet numero 50000, & magno apparatu bellico: ita ut tormentorum grandiorum fuerit numerus 50 & aliquot Mörforiorum pro ignis globis 20, pulveris vero tormentarii mille vasa. Hac tanta & militum copia, & tormentorum vi, parum vel nihil cum obesset Revaliensibus cum pudore ab vrbe recedere cogitur. Laudanda sane Revaliensium constantia & inagnanimitas, qui hostium formidine nequaquam perculsi, tam fortiter & mascule se defenderunt, ut exercitum tam ingentem bis re infecta a mœnibus suis arcere potuerint: Soluta autem vrbe ab obsidione, exercitus Moschi, iterum in Moschoviam pergit. Dux vero Magnus exercitum subsequitur & ad suum confugit patronum. Nonnulli vero Livonorum, qui Magnoadhærebant, spem hauserant, Ducem suum Magnam aliquid boni obtentum a Moschovix Duce. Sed spe frustrati, cum adverterent Ministrum vel Superintendentem ipsum Ducis Magni Christianum Schraffer suum Ducem & Mæcenatem deseruisse, qui autor ipse fuerat, ut Dux Magnus apud Moschum refugium quæreret, ipsi quoque ab illo deficere cœ-

perunt. Verum cum sæpius hujus Protoministri, Ducis Holsatiæ Magni mentionem facere occurrit, nonnulla hoc loco de illo inferamus, unde colligere quilibet poterit, quis qualisve fuerit, hic puri verbi Dei minister, & quid boni a tali Doctore, talis princeps discere vel audire poterat.

Fuerat autem prædictus hic Christianus Schraffer natione Marchiacus, vir callidus & impostor quippe qui aucupando gratiam sui principis, adulatione & blanditiis animum ejus occuparat, ut eum non modo in concionibus audiret, verum etiam in consiliis adhiberet, iccirco ab omnibus tanquam consiliarius Principis & Superintendens veneratur. Venit igitur in Livoniam cum ipse Dux Magnus primo Oselium appulerat: deinde in Semigalia cum eodem Duce commoratur, fidus sui principis Achates, qui sæpius cum illo in Moschoviam profectus, omnis consilii cum Duce Moschoviæ fabricator extitit. Tandem cernens Ducem suum apud Moschum exiguam habere gratiam, eum deserit in Moschovia, veniens in Livoniam Wendæ, usque ad sui principis reditum commoratur, ubi germanam sororem uxoris eam adhuc vivente stupraverat, quæ concepto filio partum edidit salutarem, quem Divi Joannis sobolem finxerunt nobiles wendenses. Suscipitur autem post partum, eadem femina in gynæceum Ducis Magni, digna sane

talis matrona, tanti principis consortio. Quam-  
 vis autem id Ducem Magnū latere non po-  
 terat: illa tamen eodem in honore a suo principe  
 habetur. Defuncto vero Duce Magnō, cum  
 jam amplius in Semigalia locum non haberet,  
 mortuo namque patrono, etiā patrociniū ex-  
 piravit: Dorpatum venit, ibi apud cives germa-  
 nos pastorem agit, habens filias duas adultas,  
 quarum vnā locarat nobili cuidam in matrimo-  
 nium, quæ hac fortuna, elatior esse cœpit, adeo  
 tumens superbia, vt ad extremum a Dæmo-  
 ne superbiæ parente, corporaliter possessa fuerit:  
 plurima scommata in proprium parentem, stu-  
 pentibus & audientibus omnibus jactare solita.  
 Verum cum nec ipse parens vti pius minister,  
 nec ejus Collegæ cæteri eam liberare possent, pa-  
 tres Societatis Jesu dorpatenses, suam operam of-  
 ferunt, saltem permittat parens, vt exorcismis  
 sacris Dæmonem ex illa ejiciant: Quod ipsum vt  
 obstinatus & versipellis rabula, nequaquam con-  
 cedere volens, maluit propriam filiam cum ani-  
 ma & corpore perire, quam pati, vt homines  
 pios hoc miraculo inductos resipiscere, & ab hæ-  
 resi deficere conspiceret. Diu itaque agitata &  
 misere a Dæmone torta, tandem in ipsa phrene-  
 si animam exhalare cogitur. Ipse vero minister  
 Christianus moritur illo anno, quo Carolus Su-  
 dermanix Princeps, sub Sigismundo tertio Po-  
 lonix ac Svecix rege, Derpatum expugnat oc-

cuparatque. Tum enim hic Minister ad ingressum Ducis Caroli concionem habuit, vbi principi, quod civitatem obtinuerat, gratulaturus, ne dicam an adulaturus? ipse Lector iudicato, canticum Simeonis illius Senis pro themate usurpat. Orditurque ad Principem orationem. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum &c.* Vnde facile constare potest, quanto desiderio hic bonus rabula hujus Ducis adventum præstolatus. Verum princeps Vulpeculæ hujus astutias animadvertens, a cæteris astantibus sciscitatus, quisnam hic minister esset, a quibus cum eruditus, eum esse Christianum quondam Ducis Magni Senatorem & Superintendentem: nam ab illo idem Dux Carolus, multa inaudierat antea. Spretus a Principe, quippe qui astum hominis subolefecerat, eum ad se prohibet admittere. Vnde Christianus non nihil concidit, morbo correptus extingvitur, paucis post septimanis. Anno 1600.

Anno 1577 mense Junio, Moschus de novo colligit exercitum sub Plefcovia, tendit propria persona in Livoniam cum 50000, primo Lucin occupat & Rositen, deinde Duneborch, inde pergit Creuzburgum, quod etiam obtinuit, præterea Laudon, Berson, Orlam absque labore & molestia sibi vendicat. Ducit secum Moschus, Magnum Ducem affinem suum, qui Livones

alliciat ut se illi subdent, ipse vero easdem arces Moscho cederet, quod & factum. Nam qui Wendæ, Wolmaræ, Kokenhausii fuerunt nobiles, se Magnō tradunt: Quibus Moschus minus contentus, Kokenhaus a Magnistis exigit, occupat, & nobiles omnes capite plectere jubet. Cives abducuntur in Moschoviam, uxores & virgines nobilium Tartaris prostituendas, non sine pudore & mœrore traduntur. Sub Selswegen pari modo procedit. Nam cum se diu nobiles in arce defendissent, & Moschus non paucos ex suis sub mœnibus perire conspiceret, tandem vi occupata arce, jubet præcipuos acutis veribus & palis infigere: cæteros capite plectit ad mille quingentos. Quæ crudelitas magnum terrorem incussit Livonibus cæteris, qui Wendæ aut Wolmaræ remanserant. Præterea Swanborch Ronborch Pebalg Skuien Schmilten Trikatē Burtnik Rop Lemlel Marienhaus &c. arces Livoniæ usque ad fluvium Dunam omnes per duos menses videlicet Julium & Augustum occupat.

Quarta Decemb: Wendam cum eodem exercitu obsidet, & Magnum affinem suum, in ea, cum omnibus sibi adhærentibus. Wendenses percussi timore, ex crudelitate Tyranni, instinctu alicujus Ministri, nomine Martinus Barnutus, quam plurimi in turrin amplam & capacem se includere permiserunt, ubi supposito pulvere tormentario omnes ad unum ejiciuntur:

Minister vero qui aliis hoc consilium dederat, clam se ex eorum numero subducit. Fertur ad octingentos, promiscue viros cum feminis tum temporis periisse. Res sane deploranda tam parvo momento temporis, tantam hominum multitudinem, unius perversi hominis consilio interire. Wenda quoque occupata, quotquot adhuc superstites repererat Moschus ex nobilibus & civibus, capite plectere jubet. Crudelis sane Tyrannis, & insatiabilis humani sanguinis sitis, quæ campos wendenses funeribus implevit. Deinde Wolmariam quoque obsidet, & per prodicionem Magnistarum facile a Moscho occupatur. Capitur Alexander Polbinsky capitaneus ibidem: & abducitur in Moschoviam.

Verum non multo post a nostris recuperatur Duneborch., qui per rusticos Lothavos crematum venale miserant Duneburgum, quo Moschi inebriari plerique soliti. Bene igitur ingurgitati Moschi, cum omnes secure dormirent, nocturno tempore nostri arcem invadunt, occupant, interfectis ibidem Moschis.

Wenda quoque hoc eodem anno non minus artificioso stratagemate a Moschis recuperatur. Nam Matthias Debynsky & Buringius, Rotmagistri conspirantes secum per Lothavos, conducunt se-  
rifabrum in civitate degentem, qui clavium civitatis formam cera impressam, alias ad earum magnitudinem faceret, eisque per eosdem Lo-

thavos mitteret. Quibus adeptis clam colligunt 400 Equites, intempeſta nocte ſub civitatem veniunt. Moſchorum vigiles, qui hujus fraudis ignari in mœnibus dormitantes: Buringius aliquot ex ſuis, ſcalis applicatis mœnia aſcendere jubet, & iisdem clavibus portas civitatis, nemine id advertente nocte aperiant, Debynsky & Buringium cum ſuis intromittunt. Ingreſſi civitatem cum domus invadunt, tumultus oritur. Moſchi ignari doſi non cito ſe colligunt, cœduntur omnes, qui in civitate erant. Illi vero qui in arce fuerunt videntes ſe illuſos, arcem tuentur. Tandem ſequenti die, cum ſuos cernerent interfectos; nec ſe diu defendere poſſe ſcientes, cum hoſtis jam occuparet civitatem, æquis conditionibus arcem quoque dedunt noſtris.

Eodem anno Moſchus recuperare volens Wendam, mittit 2800 cum 123 tormentis bellicis, expugnatum Wendam. Verum Andreas Sapiſſa, collecto milite, nam tum præerat exercitui, qui erat in Livonia, conjunctis ſibi Svecis, quorum Superior erat Georgius Boie, cum Moſchis ſub Wenda conſigunt, quo in conſictu Matthias Debynsky egregium ſe exhibuit militem. Nam cum quingentis equitibus, omnes Moſchorum arcēs perupit, confudit & turbat. Sic Moſchi ordine confuſi errantes a noſtris cœduntur, paucis admodum ſuperrelictis, qui fuga vitam ſibi conſuluerunt. Reportata ita-

que victoria tam celebri, tormenta Moschica a nostris Rigam deinde in Poloniam abducuntur.\*

Anno 1579 Rex Stephanus arma parat adversus Moschum, pergit primo sub Polozk civitatem Russiæ, quam non sine labore magno atque molestia recuperat 13 Augusti. Verum hoc anno Rigæ in arce omen visum est mirabile. Nam in turri arcis corvus a multis annis quam diu homines meminisci poterant nidificarat. Eodem autem vere quo Rex Stephanus Polozk obsidebat, advolans ciconia, avis hujus provinciæ invisa & rara, cum corvo de nido dimicat. Corvus non facile nidum cedens per mensem hoc certamen durat. Tandem ciconia prævalens, corvum exturbat ibique locum & sedem figit. Cujus omnis mysterium a senibus & prudentibus viris tum temporis sic explicatum fuit. Per corvum qui diu in turri arcis nidificarat, intelligi dominium Germanorum, qui Germani ibidem & in tota Livonia dominabantur. Per ciconiam intelligi Polonos antea his locis ignotos, eosque Germanorum locum in Livonia obtenturos, quod revera sic evenit. Nec illud minori animadversione dignum, quod in Littus Ducis Curoniæ hac

\* Hic inferatur de illa tempestate valida, quæ Rigæ in turri apud D. Petrum effracta trabe ferrea, in qua fixus erat globus pinnaculi & gallus, secum abportavit & projecit medio ab urbe miliari, inventus vero a Rigensibus non cito, in arenis hærens.

estate balæna, piscis nunquam in his partibus visus, cum summa in mari baltico esset tempestas, fluctibus ejicitur, qui cum in arenis diutius se torqueret, nec ad aquas iterum devenire potest, a piscatoribus in sicco littore interficitur.

Recuperata civitate Polozk a rege Stephano, Comitia Warfaviæ celebrantur. Mittuntur a rege & republica polona commissarii in Livoniam, ut a Livonibus juramentum fidelitatis Regi præstandum exigant. Quorum præcipui tum fuere Joannes Demetrius Solikowsky Archiepiscopus Leopoliensis, & Agrippa.

Anno 1580, secundo, Rex Stephanus arma parat adversus Moschum. Constituit ducem belli Joannem Samoyscium Cancellarium Regni. Obsidet Welikiluki, expugnat & occupat. Inde pergit iterum ad Comitia.

Anno 1581. Rex Stephanus tertio se parat adversus Moschum, obsidet Pleskoviam Russiæ Metropolim. Christophorus Radzivil Magni Ducatus Lithuaniz Campiductor, Palatinus wilnensis, cum suis copiis univrsam peragrat Moschoviam, vastat & depopulatur omnia. Qua clade Moschus perculsus, de conditionibus pacis, cum Rege Stephano ineundis cogitare cœpit. Mittit ad romanum Pontificem ut per Legatum suum negotium limitare laboret. Mittitur a Pontifice Gregorio XIII in hoc negotio Antonius Possavinus, Presbyter Societatis Jesu, vir doctus

& prudens, qui multum desudans non sine molestia controversiam hanc inter Regem Stephanum, Joannem Basilidem, magnum Moschorum Ducem diremit. His tamen conditionibus, ut Dux Moschorum totam cederet Livoniam Regi Stephano, quibus ægre annuens Moschus, saltem ut pacifice in suis conditionibus residere posset, inuitus prædictas conditiones inire cogitur. Quibus stabilitis, Rex Stephanus discedit Pleskovia, relicto ibidem belli Duce Joanne Samoyscio cum nonnullis aliis Militiæ Toparchis præcipuis. Quo tempore Moschoviæ Dux exacerbatus, filium proprium natu majorem interfecit, eo quod patrem ne tam facile cum Polonis pacem iniret, adhortaretur. Eodem anno Rex Suediæ, Joannes, per suum belli ducem Pontum de la Gardie Narviam eripuit Moscho. Dux Magnus Kiriempæ occupat, Matthias Debynsky ex Ascherot & Lenewart Moschos expulit.

Anno 1582 Joannes Samoyscius belli dux regis Stephani castra movet inde, & pergit in Livoniam, ut civitates & arces a Moschis occupatas recipiat nomine Regis Stephani. Mittit Rotmagistrum Leszinwolscium primo Derpatum cum aliquo milite, ut cedant inde Moschi, qui dolum moliantur Polonis, pulverem tormentarium supponentes in locis aliquibus, qui Polonos incautos læderet. Verum fraus cognita, nam Poloni non fidentes Moschis, loca primo omnia

lustrare diligenter curant, antequam arcem & civitatem ingrediuntur: Sic Moschi hac calliditate sua, qua usi in Polonos, nihil effecerunt. Rex Sueciæ hisce temporibus per belli ducem suum Pontum Pernaviam obsedit: sed cum Moschi Polonis arcem & civitatem, jussu sui Ducis cedere coguntur: Svecus infectare discedere inde cogitur. Constituitur ibidem Capitaneus, idem Rotmagister Leszinwolsky. Ex cæteris vero munitionibus & civitatibus Livoniæ, Moschi ad mandatum sui Ducis, mox omnes discedentes, in Moschoviam, ad propria se recipiunt.

## PARS QUARTA LIVONICÆ HISTORIÆ.

**R**ECUPERATA a Moschis Livonia, Rex Stephanus Rigam venit duodecima die Martii, ut ordinem faceret in Livonia. Wendæ igitur quæ olim fuit Metropolis Livoniæ, cathedram constituit, & vnum fundat in Livoniæ Episcopatum, attribuendo Episcopatui Wolmariam, Burtnik, Trikatem, Odempe, Rodenpeus, Czarnekou, &c. Capitaneum wendensem & Ronburgensem constituit Procopium Pieniedziek, equitem auratum de Maltha. Capitaneum kokenhausensem Bellawsky, felinensem Rotmagistrum Kazanowsky Marienburgensem

Marienburgensem Capitaneum Pekoslawsky qui erat etiam commissarius regius, Bornomisio Ermis contulit. Farensbekio Karkhaus, Taurus, Ruien, attribuit. Derpatensem districtum pro Oeconomia sibi reservavit Rex Stephanus. Nobiles quoque Livones paternis restituit bonis, qui fideiiores fuerunt. Polonis militibus emeritis caduca confert. Rigæ & Derpati collegia fundat Societatis Jesu. His itaque sapienter in Livonia dispositis, locum tenentem suum constituit Georgium Radzivilum wilnensem Episcopum, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalem, tribuens ei socium Stanislaum Pekoslawsky commissarium regium: qui lites & controversias regia auctoritate dirimerent: ipse Rex discedit in Lithuaniam. Hoc tempore cum rex adhuc esset Rigæ, Dux Holsatiæ Magnus fidem Regi præstare, Rigam venit: Sed ad comitia regni illum differre juramentum Rex præcepit. Habita sunt eodem anno comitia Warfaviæ, quo Dux Magnus misit Legatum suum Wilhelmum Sturcz, qui nomine illius juramentum Regi in comitiis præstaret, sed iterum negotium ad sequentia comitia differtur, interim Dux Magnus moritur, anno videlicet 1583. Hoc anno reformatum Calendarium, a summo Pontifice Gregorio ejus nominis XIII, in Poloniæ ditionibus promulgatur, & recipitur.

Anno 1583 moritur Catharina regis Sigismundi Augusti Soror, Sveciæ Regina: conjunx

Joannis Sveciæ Regis. Quo anno etiam moritur in Semigalia Dux Holfatiæ Magnus, vti paulo ante diximus; ejus arces quas Rex Daniæ pro se defendebat, Georgius Radivilus Cardinalis, nomine Regis Stephani repetit. Eodem tempore lustratio facta est Rigæ Nobilium Livoniæ, præfente eodem Cardinale, præfuit autem tum Nobilitati Livonicæ in militaribus, Georgius Färensbach, hæres Karkhaufiensis. Mortuo jam Duce Magno, conjunx illius in Moschoviam revocatur: Cardinalis eam deducere jubet ad fines vsque Moschoviæ.

Anno sequenti 1584 moritur, Joannes Basilidis, magnus Moschorum Dux, relictis post se duobus filiis, Fridericum & Demetrium, tertium enim majorem natu, ipse parens interemerat, vti superius relatam est.

Anno 1586. tertia Januarii, magnus Rigæ tumultus propter reformatum Calendarium, quod rex omnino Rigensibus mandato recipiendum decreverat, oboritur. Cujus seriem hoc loco inferendam statuimus. Posteaquam igitur regis Stephani mandatum de recipiendo Calendario reformato Rigensibus allatum fuerat, Senatus rigensis regium mandatum promulgare jubet, & suo quoque sancit edicto, ne quis civium aliter faceret: idem etiam ministris faciendum injungitur, vt juxta stylium novum ab hinc festa promulgent ac celebrent. Factum hoc circa finem anni

1585. Festum igitur Nativitatis Domini tanquam solenne, primo omnium juxta Calendarium novum Rigenfes celebrare, ex edicto tam Regis, quam Senatûs proprii, tenentur. Concionatores etiam in templis obtemperant, & evangelia pro festis competentia in concionibus tractant. Durat hoc per aliquot dies, vsque ad tertiam Januarii, qua die incidit festum Nativitatis juxta vetus Calendarium. Congregare jubet suos discipulos, Rector scholæ rigensis nomine *Johannes Mollerus*, qui suis discipulis & nonnullis ex plebe idiotis concionem habuit, sed intempeslive satis & omine infelici de Nativitate Domini. Qua in concione invectivam faciens in Senatum rigensem qui Papisimum vti illum vocabant, introducere vellet, cum Calendarium a Pontifice reformatum edicto publico mandat observare, ex quo decem dies essent ejecti. Et sic impleri Prophetiam Christi de abbreviatione dierum Matthæi XXIV, quæ verba torquens in suam sententiam, studiosos suos, & illos, qui ex plebe aderant, incitat vt morem veterem non deferant. Studiosi aliiqve plures, qui concioni interfuerunt, per civitatem vagando omnes incitant ad iram, Senatus præfagiens futurum aliquod malum, Rectorem scholæ ad prætorium citat, ibiqve conservari mandat. Vesperitumultus exoritur, tympana a plebe, in plateis ad incitandum populum pulsantur, mox confluunt in forum,

Tribuni plebis, qui sedare tumultum merito deberent, *Gisius & Brinkius*, adhuc populum magis incitant, primo Burgrabii domum *Nicolai Ekkii* invadunt, quærent Burgrabium ut capiant. Deinde prætorium ubi rector detinebatur adoriuntur, fores effringunt, rectorem eripiunt. Sic & *Wellingii* Senatoris atque Doctoris domum invadunt, ipsum capiunt, pecunias & suppellectilem argenteam diripiunt. Idem faciunt cum avvocato *Tastio*, quem captum cum *Wellingio* tertia die post, capite plectere jubent. His peractis etiam collegium invadunt Societatis. Templi fores effringunt. Patres ejiciunt, omnia in templo prophanant. Sacramentum venerabile in terram dispergunt. Supra altare, quod tamen salva reverentia dixerim, nudis posterioribus sedent. In baptisterium sterqus mittunt. Aquam benedictam in canales platearum effundunt. Patres Societatis multis scommatibus afficiunt, & civitate expellunt. Templum semel a Rege Stephano illis collatum, iterum sibi vendicant. Burgrabius *Ekkius* cum aliis ex Senatu qui se absconderant, clam in muliebri habitu ex civitate deducuntur. Quo in tumultu etiam Ministro suo evangelico non pepercerunt, sed vni illorum qui in festo nativitatis concionatus fuerat secundum reformatum Calendarium, quidam ex plebe partem verticis, usque ad cranium hasta abscidit, ad instar coronæ, quam sacerdotes catholici gestare

solent. Sic vnus petulcæ linguæ loqvacitate factum fuit, vt et sacra sint prophæanata, & secularis Magistratus suo sit privatus honore. Quæ a Rigenfibus patrata cum ad Regem Stephanum fuerant delata, pius Rex vt religionis zelator, Rigenfibus pro hac insolentia atqve inobedientia minatur vindictam. Rigenfes veriti Regem, mittunt suos legatos, vt placare possent Regem per Senatores Regni, multa munera mittentes iis qui in aula Regis morabantur: Verum Rex nullatenus volens mitigari, Rigenfibus obsidionem machinatur. Jubet in littore Curoniæ cis Dunam propugnaculum extruere, ad prohibendum Rigenfibus navigium. Verum Rex Stephanus immatura morte præventus, Rigenfes a periculo simul & metu liberavit. Ac vt aliqui affirmant dubitandum est, num Doctores Regis Rigenfium pecuniis non fuerint conducti vt Stephanum Regem, Poloniæ Regno apprime necessarium, ante tempus eriperent. Moritur namqve Grodnæ in Lithuania 2/12 septembris anni 1586. Postquam ad summum Pontificem Sixtum V legatum misisset Archiepiscopum Leopoliensem *Jo. Demetrium Solicovium* pro benedictione, vt illi liceret de novo cum Moscho bellum inire. Post obitum vero Stephani Regis a proceribus regni, quamvis interregnum erat, Blokhaus vel propugnaculum illud cis Dunam extruitur & perficitur, quod tamen postmodum, pecuniæ Rigenfium effecerunt.

vt tempore Sigismundi regis Poloniæ ejus nominis tertii, dirueretur, quod magnis sumptibus fuerat extructum.

Rigenfes vero ægre ferentes propugnaculum illud a Polonis ad littus Dunæ sibi in perniciem extructum, tentant modis variis illud demoliri. Poloni enim præsidia statuerunt sua, qui propugnaculum tuerentur. Rigenfes collecto milite in civitate, mittunt eo, vt vel Polonos inde exturbarent, vel dolo aliquo occupent. Sed præfecti illius loci, tempeftive advertentes Rigenfium turmas adventare, eas retinent & avertunt, imo in fugam agunt, cæfis non paucis: ab eo tempore Rigenfes non funt aufi aliquid tentare, adversus eos, qui Blokhaus vel propugnaculum illud defendebant.

Poloni vero rege fuo orbatî, confulunt de alio eligendõ rege, fed proceres imperii polonici discordes, alii Maximilianum Archiducem Auftriæ nominare volunt, alii Sigismundum, Joannis Sveciæ regis filium eligunt, tanquam eum qui ex fanguine regum Poloniæ oriundus efferet: quippe qui e forore Sigismundi Augufti Catharina, regis Joannis conjuge progenitus. Hunc major pars procerum adoptat, imo ipfa regina Poloniæ Anna foror Catharinæ huic fuum dat votum. Promotor vero hujus voti extitit Joannes Samoyfcius, magnus regi Cancellarius & campiductor. Cui refifterunt Zborovii cum

fuis, æmuli Samoyfcii. Erat enim rancor inter illos, ob Samuelem Zborovium, qui ob excessus aliquos tempore regis Stephani, forsitan confilio Samoyfcii, capite plexus fuerat. Hi enim Zborovii Maximilianum Archiducem secum in Poloniam adduxerant, promittentes illi Polonum imperium. Itaque procerum regni publico voto, legati in Sveciam ad Joannem Sigismundi parentem mittuntur, petentes filium, vt regem apud illos ageret. Quo impetrato Sigismundus Gedanium appulit, a Polonis honorifice excipitur, deducitur Cracoviam. Zborovii cum Maximiliano Archiduce quoque properant. Ibi de sceptro certatur sub Biczin. Maximilianus victus cum suis capitur: & post triennium vix dimittitur.

Sigismundus autem III. Poloniæ rex inauguratur Cracoviæ anno 1588. Mittit Rigam commissarios, qui audita tragœdia & causa dijudicata, rebelles & perturbatores pacis publicæ, punirent. Auctor vero hujus tumultus cum subolefaceret, imminere sibi periculum, fugit ex civitate, qui tandem proscribitur est. Fautores vero *Gifus* & *Brinkius* capite plectuntur. Qui vero in exilium relegati fuerant, *Ekkius* cum aliis revocantur: Patres quoque Societatis Jesu sedibus suis restituuntur.

Anno 1589 Mense Augusto rex Sigismundus III. parentem suum visitat Revaliæ. Per annos

igitur decem omnia in Livonia pacata fuerunt, nihilque tale accidit, quod relatione dignum censetur

Anno 1593 moritur Joannes Sveciæ Rex, post cujus obitum Rex Poloniæ Sigismundus III, Joannis filius in Sveciam pergit, coronatur ibidem in Regem Sveciæ. Carolum Sudermaniæ Ducem patrum suum, Gubernatorem Sveciæ constituit: qui sibi dominium vendicans, pro libitu suo, Barones Comites Nobilesque Sveciæ, sine discrimine plectere jubet, cum illi obtemperare recusant. Qua Nobilium injuria Rex Sigismundus III commotus, ipse se cum magno comitatu in Sveciam confert: volens mitigare discordias. Credebat enim bonis modis patrum ad saniores mentes reducere posse; sed Carolus comitia instituere volens, in quibus de publicis Regni negotiis tractandum esset. Sed clam insidias struit Sigismundo Regi ejusque comitibus, quibus cognitis Rex Poloniæ Sigismundus comitia non expectando ex Svecia navigio discedit. Relicto Bekker viro strenuo in Calmaria, qui illam munitionem defenderet. Multi tum ex eis qui cum Sigismundo in Sveciam advenerant, perierunt. Inter quos Pater Laterna, Societatis Jesu presbyter, vir Deo & hominibus acceptus, ex navi in mare a nautis dejectus, & cum triremes apprehenderet, amputatis manibus aquis suffocatur. Post discessum autem Regis Sigismundi ex Svecia,

Carolus regis patruus, amicitiae & consanguinitatis imo dicam etiam humanitatis immemor, Calmariam obsidet, fame molestissima premit eos, qui in arce, ut feles, mures aliaque plura, a quibus natura abhorret, edere coacti sint, donec occupat arcem. Ipsum Bekker diu captivum tenet, alios omnes necare jubet. Non cessat tamen Carolus in Finlandia Tyrannidem exercere, plures quam antea Nobiles innocentes variis tormentis ex hac vita sustulit. Finlandi videntes se extingui, supplicant regem ut mittat illis suppetias, & liberet eos a jugo Caroli. Mititur in Finlandiam Guilielmus Farensbach cum 500 Equitibus, qui omnes ibi perierunt. Capto ipso Farensbachio. \*

Verum dum hæc aguntur in Svecia, in Livonia quoque novi suboriuntur ignes. Nam Livones per viginti annos ferme pace potiti, elatiores esse cœperunt. Spirabant ad altiora, emebant a Polonis in Livonia capitaneatus officia publica, ut hac ratione illos qui inferioris essent conditionis, facilius ex Livonia exturbare possent. Confluitant in conventibus publicis, quibus modis ipsi dominium in Livonia obtinere possent. Offert se illis quidam rigensis civis filius *David Hilchen*, qui Syndicum agebat per annos aliquot apud

\* Hic inferatur de omni malo imminente Livoniæ de sicuris, qui passim per domos & tecta vagabantur.

Rigenſes. Vir quidem literatus in humanioribus, praxin quoque habens juris civilis, præſertim Cancellariæ regni: ſed vaſer & callidus: hæc rigenſes vt ſemideum aliquem principio ſuſpiciebant: quorum pecuniis *Hilchen* prædictus ſibi gratiam conſulit, apud ſenatores regni munuscula cuique diſtribuendo; adeo vt a pluribus regi commendatus, eum rex nobilitate donarit, & Joan. Samoyſcius eum ſtemmatis ſui participem eſſe voluit. Qua fortuna elatus *Hilchen*, putat ſibi dedecori fore, vt civibus inſerviat, qui jam eſſet effectus nobilis. Cœpit itaque ab eo tempore nobilium cauſas promovere. Ex quo ſuſpectus eſſe cœpit Rigenſibus, cujus etiam dolum non multo poſt experti. Quare Rigenſes eum cum Rigæ eſſet cum Farensbecio, cum Carolus Sudermaniæ Dux Livoniam jam invaſerat, capere, & in Portorio cuſtodire juſſerunt. Verum ad interceſſionem Farensbecii, qui ſponderat eum ſequenti die coram ſenatu rigenſi ſtatueret, ex cuſtodia dimittitur. *Hilchen* autem diffidens cauſæ ſuæ, nocte effugit, neque ab illa die Rigæ auſus eſt comparere. Citatus autem a Rigenſibus, quia lapideam ſuam Rigæ habuit, conjugem & liberos, non comparens ad extremum publico ſenatus decreto, condemnatur, & per carnificem infamis proclamatur. Nobiles autem Livones Germani conſultantes, vt ante diximus, quomodo Polonos ex ſua provincia

exturbarent, vt soli sua potirentur libertate; prædictus *David Hilchen* eis operam suam offert, promittitque se id effecturum, dummodo sequi vellent ejus consilium. Videlicet ditiores Livoniæ Nobiles, debere primo Capitaneos polonos pecuniis removeere ex Livonia, si eorum Capitaneatus vel emerent, vel arrendarent, de cæteris nullam fore difficultatem. Præterea exigit a Nobilibus, vt ei pro comitiis anno 1598 Warfaviæ celebratis, aliquam bonam pecuniæ summam contribuerent, vt eo facilius per senatores regni, ei ad regiam majestatem pateret accessus, obtineretque quod flagitaret a rege. Annuunt Livones, conferunt illi in hoc negotio perficiendo sexaginta millia florenorum. Qua pecuniæ summa *David Hilchen* in comitiis splendide vivens: munera varia Magnatibus in aula regis distribuit. Tandem audientiam impetrat apud Majestatem regiam, hoc astu utitur, vt primum, regem in suam adducat sententiam. Suadet regi vt commissarios designet in Livoniam, qui de novo redditus bonorum & arcium reviderent. Nam Refert, Capitaneos non fideliter procedere cum rege, cum in thesaurum non plus conferant, quam eo tempore, quo Livonia recenter a Moscho fuerat recuperata. Livoniæ vero ditiones, multo nunc locupletiores esse, quam tum temporis. Rex suasis his, tamquam utile quid præ se ferentes, facile annuit, commissarios se in Livo-

niam missurum promittit. Hac occasione etiam *Hilchen* noster regi proponit, plures esse nobiles in Livonia, qui malo jure bona possiderent, aut etiam per malam informationem ex Cancellaria sibi impetrassent. Ad hæc inferioris conditionis Nobiles a potentioribus affligi & supprimi, quibus ob loci intercapedinem non ad comitia venire, & jus suum vrgere possent. Iccirco necessarium fore, ut regia majestas iisdem commissariis plenariam concederet auctoritatem, ut in Livonia officia & munia iudiciorum forensia distribuant, tribunalia instituant: Et si qui fuerint qui non æquo jure bona possideant, aut per malam instructionem impetraverint, commissarii eadem bona iis auferentes, & aliis dignioribus aut magis emeritis largiantur, tamen ad ulteriorem regie majestatis ratificationem. Quæ omnia ab *Hilchen* in eum finem excogitata, quamvis speciem honesti præ se ferebant, ut suos nobiles Livones germanos, ad officia aliqua eminentiora promoveret, bona quoque si quæ Poloni possederint, non spectantia ad illos jure hæreditario, iis eriperentur, & Germanis tanquam paterno jure gaudentibus conferri possent. Ut hac ratione cum summum jus esset penes Germanos, nobiles Poloni fortis inferioris, eo facilius ex Livonia discedere cogentur. Iuvat & illud non parum ad propositum *Hilchenii*, quod hisce modis, cum capitanei arcium Germani essent, & nobiles quoque expulsi, tum

sacerdotes catholicos quorum *Hilchen* infensissimus hostis erat, vna cum religione deficere: Et sic Germani soli dominium in Livonia, tam in secularibus, quam spiritualibus obtinuissent: nisi Deus ipse eorum consilia dissipasset. Nam cum prædicti commissarii in Livoniam venissent, quorum præcipui erant Joan. Demetrius Solikowsky, Archiepiscopus Leopoliensis, & Leo Sapiha, magnus Cancellarius Lithuanix (alii enim qui fuerunt, vel hæretici fuerunt, vel Germani Livones, inter quos ipse *Hilchen* notarium egit, vt tanto facilius revidendo privilegia nobilium, nocere posset, cui vellet) Nobiles Livonix muneribus gratiam sibi apud Commissarios conciliare elaborabant, quorum respectu illi sperabant, se ad officia judiciorum, aliarumque dignitatum a Commissariis promovendos. Nam et ipse *Hilchenius* ante jam a Regia Majestate impetraverat officium Notariatus terrestris, priusquam adhuc quicquam a Commissariis hoc in negotio erat constitutum. Verum Malum consilium vti ajunt, consultatori pessimum. Cum enim negotium & consilium eorum longe alium fortitum fuisset eventum, quam ipsi sperabant: Nam neque ad officia Germani promovebantur illa, quæ alicujus erant autoritatis vel emolumenti: neque ex bonis quicquam obtinuerunt, quæ sperabant. Nam officia ista potiora Polonis Nobilibus distribuebantur. Germanis vero perpaucis, locus

concessus fuit in consiliis & judiciis forensibus & terrestribus. Spe itaque hac germani nobiles frustrati, dolentes de impensis suis, quæ & *Hilchenio* ad comitia contribueraut, & Commissariis conferebant, aliud iter ingredi ad consequendum ea, quæ animus optabat, tentarunt. Obtulit se occasio opportuna, quæ tum in promptu fuit; sciunt Carolum Sudermaniæ Ducem in Sveciæ & Finlandiâ tumultus ciere, & Tyrannum agere, nepotique suo regi Poloniæ bellum indixisse. Conspirant potiores Livoniæ nobiles. Vtpote Joan. Tisenhausius monoculus, qui Capitaneatum wendensem emerat, qui hujus fabricæ autor & architectus extitit, cum suis consanguineis & affinibus, quorum magnus erat numerus, quibus alii facile adhærentes; ad Carolum scribunt illum nunc tempus commodum habere, ut Livoniam suo adjiciat imperio, siquidem Livonia milite destituta, & Poloni haberent quod agerent cum Michaelæ Moldavorum principe. Carolus oblatam occasionem minime negligens, non indicto bello Livoniam invadit cum 25000. *Hilchen* quoque apud suos nobiles Livonos, gratiam quam habuit, cum spes eos fefellisset, perdidit, pariter etiam apud Rigenses, iccirco illi insidiari cœperunt. Ille vero videns se ab illis odio haberi, nec locum mereri inter illos, ad Joan. Samoyscium magnum regni Cancellarium confugit, alias forsitan & ipse cum suis nobilibus

ad Carolum defecisset, nisi de corio suo tenuisset, nolens itaque volensque nobiscum convenire cogitur. Pacto igitur tali fœdere, Carolus expedit exercitum Revaliam, cujus numerus in dies cum excrevisset, Georgius Farensbach, Nobilitatis Livoniæ in militia præfectus, cum cæteris Livoniæ primatibus, suum quoque conscribunt militem. Congregantur primo nobiles Livoniæ tam Poloni quam Germani ad mille equites. Hi in finibus Æsthoniæ lustrantur sub Oberpal in vere anno 1599: morantur ibidem in castris per menses tres. Cum autem svecicus exercitus potentior effectus, quam ut ejus impetum nostri sustinere possent, & sub Album Lapidem appropinquasset, Nostri castra inde remove coguntur, figuntque sub *Helmet*. Carolus ipse cum exercitu in autumno navigio subsequitur, appulit Pernaviam, jubet suos omnes ibidem convenire, collegit ingentem hominum colluviem, viginti quinque millium, obsedit Pernaviam. Anno 1599 Mense Septembr: exercitus noster discedit ab *Helmet*, & castra metatur sub *Cremon*. Ex Lithuania quoque aliquot Rotmagistri cum milite in auxilium mittuntur a belliduce Christofforo Radivilo, Palatino wilnensi. Verum absente Duce, quia tum filio suo Joanni nuptias celebrat Brescii, hosti initio non resistitur. Carolus autem postquam septimanis quatuor sub Pernavia fuisset commoratus, absque

tormentis bellicis, quæ incœnia lædere poterant, nostri qui præfuerunt arci præ timore, vltro arcem dedunt cum civitate. Fuerunt autem superiores ibidem tum temporis, Golembiewsky vice capitaneus & Suchorewsky cum suis collegis. Obtenta a Carolo Pernavia, gavisî non nulli ex perduellibus Livoniæ nobilibus, vt Joan. Tischenhausius qui sibi Capitaneatum emerat wendensem, is tibicines suos tripudium canere iussit Wendæ, et pro felici omine Caroli Sudermaniæ Ducis, propinabat suis. Nobiles Livoniæ qui in castris degebant, sensim a Farensbecio deficient. Ac vt negotium illud dolo plenum, felicius illis cederet, de nece Farensbecii, qui bellicis vices tum obibat, conspirabant, vt sublato capite, facilius illis daretur commoditas, Carolo se adiungendi. Conductus igitur famulus quidam, qui militabat in castris, vt Farensbecium ex improvise sclopeto in tentorio interficeret. Quod idem tentare ausus, sed avertente Deo malum, sefellit illum ictus, ita vt secus latus Farensbecii globus evolando, eum illæsum conservaret. Milites vero nostri, postquam intellexissent per exploratores, Carolum Pernaviam occupasse, & ulterius progredi velle, (miserat enim quinque millia ex suis Felinum, quibus præfecerat Carolus, Nothum suum quem vulgus Carolison appellabat) qui non suspicati de nostris,

sub

sub Karkhaus intercipiuntur. Nostri tum non aderant nisi tres rothæ, vtpote Joannis Petri Sapihæ, Felicis Niewiarowsky & Domini Rudoniæ Capitanei oberpalenses, qui conferentes manus cum 5000 Svecorum, plus mille interfecerunt, ex nostris tum quatuor duntaxat interempti sunt. Qui conflictus etsi primus, & nostrorum exiguus numerus, Carolo non adeo felix omen belli futuri initio præbuit. Dispersis itaque his quinque millibus, qui superstites ex Svecis, ad Carolum redeunt, non ea forsitan via, qua advennerant. Carolus hac strage suorum commotus, toto collecto exercitu, ipse quoque præsens, iterum pergit Felinum primo Karkhaus occupat, ubi Farensbecius reliquerat nonnullos nobiles germanos, quos fideliores fore putabat, ad defendendam arcem, inter quos præcipuus fuit, quidam Georgius Netken, qui postea Matthiam Dembinsky Pernaviensem Palatinum prodidit, uti inferius dicetur. Sed ab his deceptus Farensbecius, arcem Karkhaus, quæ jure hæreditario, ad eum spectabat per prodicionem suorum, Svecis cedere cogitur. Inde Carolus procedit Felinum, ubi quoque per duos vix dies commoratus cum exercitu suo, Ungari pedites qui missi fuerant, ut tuerentur arcem, conspirantes cum Svecis, deditionem moliebantur. Porro nostri civitate exusta, in arce se defendere statuerunt. Advertentes autem prodicionem, Ungarorum

inviti ab armis abstinere coguntur. Nam si hostibus resistendum decernerent, cum Ungaris certandum erat nobilibus, qui eo confugerant, ut se tuerentur ab hostibus. Itaque Sveci impetum facientes, cum mœnia ascendere conantur, ab iisdem Ungaris, libere arcem invadere & occupare permittuntur. Quorum proditione, absque molestia, Sveci occupata tam munita arce, Carolus nobiles omnes polonos captivos in Sveciam relegat, quorum erant præcipui Michael Kurtz, qui præfectus erat arcis, Rotmagistret Sadowsky, cujus erant pedites ungarici, Simon Chvzanowsky, Alexander Pradzinsky, & præpositus felinensis Bartholomæus Chorinsky, quorum major pars in captivitate finem vitæ sumpserunt. His peractis Felini, postquam præfidiis arcem munitisset, mittit partem sui exercitus Carolus, sub Lays, ubi capitaneus erat Orzechovius, vir militaris & heroi animi qui cum suis se in arce per quatuor septimanas strenue defendens, quamvis gravi morbo correptus, & de vita illius dubitabatur, tamen arcem donec animam efflaret, nulla ratione Svecis tradere permisit. Quo igitur vita functo, qui in arce fuerunt, orbatu superiore suo, arcem dedere hosti compelluntur, corpus vero defuncti Dorpatum mittitur, & conjunx Orzechovii libera dimittitur, ut maritum suum Dorpati tumulare curaret. Capto Lays, Kirenpe expugnare contendunt, ubi cum deessent

præsidia facile a Svecis obtinetur. Hinc Derpatum pergit Carolus cum exercitu toto, ipse quoque præsens obsidet civitatem, tormentis grandioribus, partem mœniorum prosternens, ubi per mensem & ultra, nostri vim hostis sustinentes, cum die nocteque inquietati ab hostibus, exhausti laboribus & vigiliis, dedere civitatem coguntur. Occupata jam civitate Minister Christianus Schraffer in templo parochiali salute..... \* Captivantur ibidem Georgius Schenking Oeconomus derpatensis, Henricus Ramel, Rothmagister Galparus Tisenhausius & cæteri plures, qui fideles extiterant Regi Poloniæ. Germani vero qui Carolo juramento se obstrinxerant, dimittuntur liberi & militant adversus Polonos. Capiuntur præterea Rothmagistri peditum poloni, cum Nobilibus polonis districtus derpatensis. Nec aliter evenit sacerdotibus catholicis qui tum temporis Derpati aderant, utpote Patribus Soc. Jesu & Præposito Derpatensi, quibus arma data & hastæ, in opprobrium, fuitque injunctum, ut cum cæteris stipatoribus Carolum comitarentur: tandem in Sveciam missi, ut mancipia tractati sunt, qui operando victum quærere, & se sustentare coguntur. Oeconomus vero derpatensis, in custodia habitus apud civem derpatensem, nescio quo modo effugerat, quo audito Carolus, mox ut insequantur Oeconomum mittit. Obtulit suam

\* Locus lacunosus.

---

operam Adamus Sahraffer, filius Ministri Christiani Schraffer, cujus superius mentionem fecimus, qui apud eundem Oeconomum, capitanei vices obibat in arce Adzel; Hic fidelis servus œconomi, cum suo comilitone Gasparo Rolant, qui quoque œconomo inserviverat pro aulico, ac cæteris perjuris Dominum proprium insequuntur, capiunt reducuntque ad Carolum, qui non sine ignominia a Principe salutatur, relegaturque in Sveciam. Hinc quam fideles sint etiam suis benefactoribus Livones, advertere licet. Expugnato itaque Derpato, mittit exercitum Wendam versus, occupat Helmet, Ermes, cæterasque minutiores arces. Capitur in Ermis, Henricus Brakel Capitaneus ibidem, qui percussus tanti principis potentia, ipse offert claves arcis Carolo. Sed neque hac submissione Brakelii Carolus mitigatus, eum cum conjugis parente, Christophoro Denhoff in Sveciam abducere jubet, ubi per annos aliquot in summa penuria detenti, inde tandem vel fuga vel precio redimentes, liberati sunt.

Episcopus autem Livoniæ Otto Schenking fratris sui œconomi derpatensis periculo cautior factus, ne ad Caroli manus perveniret, non ausus erat Wolmariæ continuo manere, ubi ejus erat residentia, sed hinc inde proficiscendo per varias arces, ne hostes de ejus præsentia certi quid scire possent, per aliquod tempus latitare debuit:

[ multum enim laborabat Carolus, ut Episcopum Livoniæ tanquam cleri & catholicæ religionis caput, ibidem comprehendere posset. Multas iccirco cum vagari cogitur molestias suffert, non tam ab hostibus, quam a nostris militibus, qui parum discreti in trajecto per Gaviam dum fugit, Episcopo torquem cum cruce quam Episcopi gestare soliti, a collo detrahunt, tapetia & alia quæ illis usui esse poterant eripiunt, sic honoratus dimittitur. Fuerunt tales violentæ invasiones in prædiis nobilium plures, ubi conjuges & filiarum a nostris stupratæ, quibus exacerbati nobiles causam defectionis ad Carolum facile invenerunt. Nec subditis quoque pepercerunt, quippe qui novos cruciatus excogitarant, ut rusticorum pecunias & bona extorquerent, quos ferventi aqua superinfusa in lintre ligatis pedibus manibusque depositos, non aliter ut porcos, cum raduntur, tractare solebant. Cæteri colligatis pollicibus manuum pedumve a tergo per modum crucis suspensos rusticos integra nocte torquebant, ut saltem ab illis intelligerent, ubi in foveis sua frumenta & suppellectilem reservassent. Omnibus itaque ereptis tandem ab iisdem capite truncabantur. Quibus affecti injuriis nobiles Livones & subditi ab indomitis Cosacis & Schytis quibus nostri sæpius se adjunxerunt, quid mirum, si qui ante inclinati fuerunt ad defectionem, hoc pacto paratiores promptioresque fierent, nostros

deserere, & Carolo adhærere, cum, a quibus tutelam sperare debebant, ab his pejus, quam ab hostibus, se affligi adverterent. Contrario vero modo Carolus procedebat, cum subditis Livoniæ, nam ut clementiorem se exhiberet illis, eorumque animos sibi conciliaret, indictum fuit exercitui carolino, ut præter victum, a subditis nihil extorquerent: nec ut in laboribus agricolas impedirent, in partibus illis, quas sibi jam subjecerat, alias gravi pœna mulctandus, qui editum principis prætergressus fuerit. Atque ut eo facilius reliquos Livoniæ nobiles in suam pertraheret sententiam hac arte usus est Carolus. Datis namque literis, ad eosdem Livoniæ nobiles, qui adhuc illi non adhærebant pollicetur principis verbo, illorum jura & libertates, cum privilegiis bonorum se aucturum, præterea catholicam religionem cum sacerdotibus funditus extirpaturum eosque ex servitute Papæ asserturum, quarum literarum copiam ipse legi, germanice scriptam. His similibusque technis usus est Carolus, ut Livoniæ nobiles ad defectionem a regno Poloniæ alliceret. Quin etiam & illud inculcabat nobilibus, se nimirum, regis Poloniæ instinctu omnia facere, quæ prætenderet. Quo astu circumventi nobiles adhuc reliqui, cæteris se adjunxerunt adhæseruntque Carolo.

Porro interim svecicus exercitus sub Wolmariam adventare cernitur, exigunt belliduces

arcem minis, verum parum moti initio qui in arce fuerunt, Sveci inde absque tormentis secedere coguntur. Hæc facta circa finem Decembris anni 1599.

Anno vero 1600 circa festum trium Regum mittit Carolus sub Wendam septem millia promiscue Svecos cum Germanis, vt civitatem clam occupent & expugnent, Dominica quæ est intra octavas Epiphaniarum. Erant enim tum Wendæ aliquot Rothæ equitum, vtpote Domini Joannis Petri Sapihæ Dni Niewiarowii Dni. Matthiæ Dembinsky, Dni. Ludovici Wayeri, Dni. *Rudominae*, qui ignari de adventu hostium sub Wenda, die Dominica sacris interfunt, quibus absolutis, cum mensæ accumbere volunt, tumultus & clamor excitatur, hostes jam sub mœnibus esse: tum nostri trepidi arma rapiunt, equi ad pugnam instruntur, hostibus obviam procedunt: nec simul omnes, sed qui paratus primo prior ex civitate erumpit, reliqui sequuntur. Mira divina providentia, & mirabilis belli eventus. Quadringenti nostri cum septem millibus conferunt, cædunt, in fugam vertunt, fugientes insequuntur, vsque ad fluvium Gaviam, quos cum glacies ob nimiam multitudinem sustinere nequit, cum curribus & equis simul aquis suffocantur, adeo magna Svecorum clade, vt vix mille a septem millibus evaserint. Hac strage suorum percussus Carolus & exacerbatus in Polonos, cum tota militum manu,

Wendam venit. Cujus vim cum nostri ob paucitatem sustinere non possent, Wendam deserunt & rigensium in territorio commorari coacti sunt. Farensbecius quoque a suis nobilibus Livoniæ, quorum ille præfectus erat, desertus, Rigæ degit in arce cum suis peditibus.

Carolus occupata Wenda, secundo mittit exercitum sub Wolmariam obsidione cingit, & tormentorum ictibus mœniorum partem dejicit, primo civitatem deinde arcem obtinet. Inde Ronburgum exercitus svecicus mittitur, qui absque tormentis eo veniens, cum vicecapitaneus ibidem, Matthias Wiossolowsky fretus auxilio nobilium germanorum qui eo confugerant, ob munitionem arcis, ut tutiores essent a Svecis, defendere se decrevisset, desertus ab iisdem nobilibus, clavibus vicecapitaneo ereptis, Germani Carolinis offerunt: sic Wiossolowsky proditus Svecis, primo Pernaviam, postea in Sveciam mittitur. Germani vero qui arcem prodiderant Carolo jurarunt.

Donec ista Ronburgi peraguntur, major pars exercitus svecici tendit Kokenhausium, ubi & Carolus aderat, hi primo Pebalgam, deinde Orlam expugnare debebant, antequam venirent Kokenhausium. Matthias Dembinsky Palatinus pernaviensis Pebalgensis capitaneus, cum ei relatum fuisset, hostes jam adventare, ille quendam vicium suum nobilem germanum, nomine Georgium

Nötken, cujus superius mentionem fecimus, cum quo magna illi fuit familiaritas, confidens huic proditori, mittit exploratum de hostibus, infcius hunc Nötken ideo ex Kærkhaus a Svecis dimissum, vt tanquam fidus amicus Dembinsky eundem proderet, vt ad Caroli manus deveniret: quod ipsum prædictus Georgius Nötken fideliter præstitit. Nam qui a Dembinsky missus fuerat exploratum de hostibus is refert Svecis de præsentia Dembinsky Pebalgæ, itaqve se adjungens Carolinis, infcio Dembinsky arcem circumdedit, vt effugere non posset. Cum itaque fidelem nuncium expectat Dembinsky, ab infido vicino & proditore traditur, capitur, & in Sveciam relegatur. Capitur tum temporis quoque Joannes Drobis, Dserbinensis capitaneus, & nonnulli alii nobiles, qui Dembinscio adhærebant.

Lætus iccirco Carolus, quod Dembinscium cepisset, magni enim faciebat eum, eo quod sciret illum militem esse peritum & veteranum. Kokenhausium pergit, obsidet primo civitatem circa ipsa carnis privia. Palatinus wilnensis capitaneus kokenhausensis, Magni Ducatus Lithuaniz Campiductor, arcem hanc bene muniverat annona & præfidiis. Civitas vero ob debilitatem mœniorum a nostris deseritur, malentesque se arci concedere, ibi se tueri statuerunt. Iccirco facile Sveci obtenta civitate, tormenta bellica grandiora sub ipso muro arcis statuere iussit

Carolus: ita ut saltem fossa una, eaque profundior interesset, ex qua pons qui ad portas arcis tendebat, a nostris erat dejectus. Directis itaque tormentis ad turrim in qua arcis portæ sitæ erant, eas vult tormentorum ictibus effringere, verum quia portæ a nostris in arce erant obrutæ, nihil efficit. Et cum diu jaculando partem turris, a fundamentis effregisset, ita ut desuper murus hæreret pendulus, invento foramine, ad instar januæ, volens arte quadam, eo arcem intrare. Jubet quingentos pedites, clam fossam intrare & sub turri, quæ desuper pendeat latitare: atque cum ex tormentis aliquot simul explodere jussisset, voluit ut ii, qui sub turri latitabant, in illa caligine & fumo ex pulveribus tormentariis excitato, arcem irrumperent, ne adverterentur ab his qui in arce fuerunt. Verum aliter cessit negotium, quam Carolus suspicatus: nam explosis simul tormentis aliquot, ad prædictam turrim, murus jam ante ex crebrioribus ictibus debilitatus, & pendulus desuper, super illos, qui sub turri se absconderant corruit, omnesque collisit. Sic stolidum principis consilium, causa fuit, illorum interitus.

Quod igitur inventum cum Carolo pro votis non successerat, & jam non parum temporis consumserat jaculando, nihilque efficeret (qui namque in arce erant, mascule se defendebant) quamvis aquæ penuria laborabant, cum vnus duntaxat

puteus esset in arce, qui hominibus & equis, aquam sufficientem haud poterat suppeditare. Idcirco nives ex tectis liquefacientes, equos potare cogebantur, ipsi vero vna mensura aquæ, singulis diebus contenti esse debebant: Ipse Carolus ad extremum cum exercitu inde secedere coactus, relictis in civitate duobus miliibus, qui nostros in arce fame & siti premerent, donec se dedere vrgerentur. Per totam igitur quadragesimam, cum Sveci arcem non obtinere poterant, & nostri se tuerentur. Interim campiductor Lithuanix Christophorus Radzivilus, palatinus wilnensis colligens copias, post festa Paschæ, sub Kokenhaus, suis qui in arce diu inedia pressi in auxilium venit: obsidet Svecos in civitate. Quo audito Joannes Tisenhausius monoculus, hæres in Beron, hujus livonici belli præcipuus autor, Suecis qui in civitate obsides, volens ferre suppetias, collectis centum equitibus germanis, cum quingentis rusticis, Polonis statuit debellare: se cum ferens septem millia talerorum, pro solutione militis svecici, qui Kokenhausii in civitate a nostris obsidione cincti erant. Verum a nostris iisque paucis, qui de Tisenhausii adventu inaudierant in itinere profligatur, interfectis plurimis. Ipse monoculus vix effugit, pecuniæ eripiuntur a Polonis.

His peractis cum aliis copiis advenit sub Kokenhaus etiam Dn. Joan. Carolus Chodkevicius,

---

qui Radivilo socius belli a rege erat assignatus. Numerus itaque auctus polonici exercitus, Sveci qui in civitate obsides, fugere non poterant, etsi libenter voluissent, eo quod viæ illis undique erant interclusæ. Misertus autem suorum Carolus, mittit duo millia qui Svecos ex obsidione liberarent. Verum intercepti sub Orla a nostris, cæduntur 300 & ultra, cæteri in fugam convertuntur, ex Polonis tum vix quatuor interfecti. Huic exercitui suo præfecerat Carolus nothum suum Carolison: Ipse namque Dux Carolus tum temporis Revaliæ morabatur, ibique cum illi natus esset filius Carolus Philippus, puerperium celebrabat. Advenerat circa idem tempus ad Carolum Sudermaniæ principem, Comes quidam a Nassov, quem idem Carolus suo in loco belliducem constituit exercitus svetici. Hic ut novus imperator vicisci volens necem suorum, qui sub Orla perierant, cum septem millibus advenit sub Kokenhaus, commissurus prælium cum Polonis qui tum erant ad quatuor millia. Verum hic conflictus novo belliduci non feliciter adeo cessit: nam victus a Polonis, profligatur. Poloni victoriam reportantes, cædunt sex millia Svecorum. Ipse comes a Nassov bellidux cum mille vix evasit. Polonorum occubere in hoc conflictu ducenti. Qui vero in civitate obsidione premebantur quorum superior erat Christophorus Schum, cum spem omnem effugii sublata intelligerent,

Polonis inviti dedere se coguntur. Schum itaq; cum suis Carolo Chodkevicio in tutelam se subdidit. Vnde Christoph. Radzivilus Dux belli ira commotus, quod si obsides non ad illum confugissent, cum captivi ex civitate dimituntur, iussit illos in itinere, ad ripam Dunæ omnes interficere, quorum cadavera in flumen projecta cum impetu aquæ in mare deferuntur.

Hac igitur obtenta victoria & recuperata arce kokenhausia nostri pergunt sub Ronburg, arcem obsident. Vbi tum erat præfectus arcis nobilis quidam ejusdem districtus, Joan. von Rosen; perjurus quoque Polonis, hic diu se defendebat in arce, donec bellidux Caroli comes a Nassov, cum ingenti exercitu, utpote quatuordecim milibus nostros inde repulit. De cujus adventu cum innotuisset Ducibus nostris, castra remove-re coguntur. At Carolus Chodkevicius, qui socius erat assignatus belliduci Radzivilo, videns ducem belli trepidum, & fugam maturare, svasit ut saltem acies intuerentur. Dux suavisimè minime annuens, dicebat, plurimas esse hostium copias. Cui Chodkevicius ait, non esse querendum quot sint hostium copiarum, sed ubi sint. Rigam properant. Comes a Nassov valida manu nostros insequitur, qui sub ipsis mœnibus rigensium fugiunt. Qua in fuga non pauci currus cum commeatu a Svecis erepti sunt Polonis; Interfectis quoque ex famulis, aurigis, lixis,

mercatoribus ad 500. Fuerunt autem tum temporis Poloni numero saltem 2000 ad pugnam instructi, iccirco tantæ hostium multitudini resistere erat impossibile.

Hac laude comparata comes Nassoviensis, terroribus & minis rigenses sæpius sollicitat, vrget deditionem, obsidet civitatem, suburbium exurunt Sveci, ipse Carolus Sudermaniæ Dux, cum tormentis & apparatu bellico Rigam appulit, infestat urbem, jaculatur ad eam, nocere nihil potest. Commoratur sub Riga vsqve ad autumnum. Interim etiam Joan. Samoyfcius, supremus regni exercituum campiductor apud Polonos, postquam Michiaelem Moldavorum principem debellasset, in Livoniam venit cum duodecim millibus: trajicit Dunam sub arce Seleburg principis Curoniæ, cum exercitu: scribit ad Carolum Sudermaniæ Ducem sub Riga, vt eum præstoletur, & prælium committat vbi placeret. Verum his literis Carolus nec dum territus, adhuc sub Riga hæret, infestat urbem. Rex quoque Sigismundus tertius Samoyfcium cum suis copiis subsequitur. Et cum sperarent Carolum commissurum prælium cum Polonis, duo ex stipatoribus regiis prôditores, perjuri facti, clam ad Carolum fugiunt, dissuadent vt cum Polonis confligat: nam & copiosum & selectum asserabant Polonorum exercitum. Quorum suafibus assentiens Carolus, naves ascendit, pergit in

Sveciam. Exercitum autem mittit Pernaviam, ac inde Revaliam: relicto in discrimine notho fuo Carolo, & filio Ponti, quondam belliducis Joannis Regis Sveciæ, Wolmarizæ in arce cum trecentis Svecis, ut ibi se tuerentur. Prædictus vero bellidux Caroli, comes a Nassov, circa Revaliam hæret. Spe igitur prælii frustratus Jo. an. Samoyfcius, initio cum exercitu suo Wolmariam, & Caroli nothum, cum filio Ponti [dell' Gardo quondam Joannis regis Sveciæ belli dux, qui sub Narvia submersus] in illa obsidione cingit, aderat enim tum sub Wolmaria regia majestas. Cum igitur exercitus ferme per trimestrem ibi fuisset commoratus, parumque effecisset, eo quod tormenta bellica longius ex Polonia, non tempestive satis adducebantur. Rex affectus tædio Vilnam se confert, relicto ibidem belliduce Samoyfcio cum exercitu.

Post discessum regis advehuntur tormenta, quorum tum fuit excellentius, Virgo, quæ omnium primo Carolison in die nativitatis Domini, novam attulit suo cantu nuncium. Primo ictu penetrat conclave ubi Carolison degebat, qui mane decumbendo in lecto per globi vim, sub ipso lecto illius foramen effringens & per alterum parietem evolando expergefactus territusque, mox ex illo cubiculo in interiores arcis fornice recessit.

---

Anno 1601 Carolifon cum jam nostri civitatem Wolmariam occupassent, & ad arcem jaculando effracta esset turris nova, ab Episcopo Livoniæ Otthone Schenking recenter ædificata, nec vim nostrorum amplius ferre potuisset in die Epiphaniarum se dedere cogitur. Missi tamen erant a Comite Nassov tria millia Svecorum, qui Carolifon suppetias ferre debebant: Verum hi cum sub Ermis intellexissent de exercitu nostro, & de Samoyscii viribus infecta re Revaliam revertuntur. Carolifon cum Ponti filio Jacobo captivi ducuntur Vilnam ad regiam Majestatem, qui non adeo honorifice excipiuntur a rege, primo Warsoviam mittuntur, postea abducuntur Marienburgum in Prussia, ibiqve sub custodia habentur.

Cum itaqve referimus successum belli, & quæ utroque in exercitu fiunt, tam svecico quam polonico: non prætermittamus, quæ interim cum miseris Livoniæ agricolis & subditis aguntur, recensere. Horribile sane auditu & dictu miserabile, quod vno anno, omnes ferme rustici Livoniæ interierint, præter eos qui se in sylvis & paludibus absconderent: adeo ut vix decima pars subditorum superrelicta censeatur. Perierunt hoc anno, ut plures qui hujus provinciæ statum, & morem gentis noverunt, ominati sunt, ultra sexcenta millia subditorum promiscui sexus & ætatis! adeo fuit miserabilis conditio miserorum, &

& fames inaudita, ut præ inedia cadavera equorum, canes feles mures & alia a quibus humana natura abhorret edere coacti sint, ut bulimiam & caninam edendi orexim quodammodo mitigarent. Vbi vero conspiciebantur in agris cadavera, ibi miseruli fame coacti & exhausti, ut vix anima in illis hæreret, sine ferro, dentibus, hyeme congelatas carnes crudas, canum more, rodere & vorare non sine nausea & horrore nostris inventi sunt. Canes qui hominum mortuorum corpora vorabant, ab hominibus maclabantur & consumebantur. Imo quod magis deplorandum, homines maclabant homines, & alii alios vorabant. Quod pluribus in locis factum tum temporis pro certo intelleximus. Vnum pro vero referam, locumque indicabo. In districtu berfonensi puella quædam jam matura, cujus parentes pari modo ut cæteri interierant, hæc cum tribus fratribus, & quatuor sororibus superstes remanserat, ipsa tamen major natu omnibus septem, quæ fame compulsæ, in proprium sanguinem sævire & hos omnes trucidare non est verita. Quorum corpora in partes dissecta in dolio condiebat, ut miseram vitam per aliquod tempus prorogaret. Quod facinus cruentum, cum innotesceret vice capitaneo berfonensi puellam comprehendere jubet, quæ confessa piaculum, dira fame se ad perpetrandum scelus hoc compulsam asserbat. Et cum sciscitaretur

ab illa, quomodo causa esset humanis carnibus vesci, respondet, si in posterum liceret iis vesci, fapidiore carnes sibi præter humanas nunquam velle optare. Quo responso territus vicecapitaneus berfonens. videns quod habitum jam contraxerat, ne pejus quid in posterum moliretur, aut aliis insperate mortem inferret, aut suis germanis, eam vivam humare jubet. Præterea si quis iter faciebat per Livoniam in casis & tuguriis rusticorum, quæ omnia deserta erant, licebat invenire ossa & crania mortuorum in vna domo, quinque, sex, plus minus, qui fame extincti, quorum corpora a feris & canibus discerpta, ossa duntaxat remanserant. Vnde canes tum temporis adeo rapidi facti, vt gregatim aliquando ad 50. ex pagis congregati, per agros divagarentur, ita vt difficile erat, duobus vel tribus, quibus erant obvii canes, evadere illæfos. Hæc omnia cum horribilia sint auditu, quid putas? quam misera-bilia visu, & execrabilia factu? Rumpere potest pium cor, cum audit ea recensere, & perpendit infelicissimorum Livoniæ incolarum lamentabilem statum, quam quantamque plagam Deus super hos miseros venire permiserit. Segetes quoque quæ anno 1600 in autumno seminatae erant in Æsthonia, sequenti anno meti non poterant, eo quod messores non erant, nisi militum familia ex castris venientes, pro necessitatibus suis metebant, vbi placebat. Erat tum liberum metere

cuilibet, non vbi seminarat sed vbi optimam sperabat messem. Pluribus in locis etiam per hyemem segetes in agris remanserant intactæ, quas sequenti vere subditi pauperes, colligentes spicas in quibus grana advertebant, siccare, & panes pinere cum paleis necessitas ipsa docebat. Sed satis de his, redeamus ad historiam.

Recuperata Wolmaria, exercitus Polonorum cum belli ducè aliquantum temporis moratur sub Antz prædio in districtu derpatensi. Post festum Paschæ pergit Samoyscius cum exercitu Felinum, obsidet civitatem & arcem, primo tormenta extra mœnia collocantur civitatis, verum postquam nostri occupassent civitatem, quæ a Svecis non defendebatur, eo quod muri debiliores, tormenta bellica in civitatem ducuntur, & plane e regione arcis constituuntur, ut unico ictu, quatuor vel quinque parietes trajicerentur: tanta enim tormentorum vis erat, terror in arce Svecis & Germanis haud exiguus, defendunt se tamen & cum non parva mœniorum pars dejecta esset, nostri moliuntur facere impetum, & armata manu invadere arcem, verum prima vice nihil efficiunt, quia in arce strenue se defendebant: Secundo igitur nostri animantur ad invadendam arcem, ad quod cum plurimi etiam ex equestri ordine parati erant: Georgius Farensbecius, Palatinus wendensis & nobilitatis Livonicæ in militia præfectus, vir magni animi, atque veteranus miles, qui



jam canus' erat, vt junioribus animum adderet, arcem quoque propria persona adoriri conatur. Sed noscitur ex arce, ab aliquo nobili nomine Odert Tedwen, qui illi quondam inferviverat, ab eodem sclopeto interficitur. Vnde Samoyscius non parum contristatus, jubet virum militem ex fovea, per quam adire arcem debebant, qui jam invadere conabantur, educere: qui adhuc spirans, eundem Samoyscium tutorem filiorum suorum constituit, quem Samoyscius belli dux amplexatus, alloquitur. Farensbeci vir fortissime, quam optatior mors tua viro militari, magis mea vita: tu canitiem tuam vti decet strenuum militem, Marti consecrasti: Ego vivo, qui optarem tecum simili modo vitam pro patria reddere, magis quam domi in ocio & strato mori. Non multo tamen post tertio nostri adoriuntur arcem, cum jam ad fundamenta usque muri dejecti erant. Sveci advertentes, se jam difficile consistere posse, inducias poscunt, vt per conditiones certas arcem dedant, interim a jaculatione ex tormentis cessatur; Sveci tractant cum nostris, nihilominus tamen in arce nostris clam moliantur fraudem. Nam supponentes sub palatio, vbi nostri effregerant murum et conabantur ascendere, pulveres, vt quando palatium nostris esset inpletum, accensis pulveribus tormentariis per tecta ejecti perirent: Verum quam foderunt foveam Polonis, ipsi inciderunt. Cum enim in

eodem palatio essent congregati Germani & Sveci arcis præfecti, cum suis primipilis, tormentorum explofor, qui hoc artificium instruxerat, incautus, igne quem in fomite foverat pulveres in Canali accendit, qui de repente ad vasa pulveribus repleta perveniens accendit. Sic Sveci cum Germanis, dum de deditioe arcis secum consultant de improvise per tabulata & tecta ejiciuntur, vt extra arcem evolarent. Sic malum consilium, consultori pessimum est. Stupefacti nostri inscii quid in arce fieret, non cito dolum intellexerant. Hoc suo stratagemate decepti Sveci, omnino se dedere coguntur. Occupatur igitur Felinum a Polonis mense Junio: vbi Germani nobiles qui in arce erant captivi detinentur: Sveci & exteri deducuntur Pernaviam.

Inde Samoyfcius belli dux cum exercitu tendit sub Album Lapidem, illam quoque obsidet, premit illam obsidione per tres menses, jaculatur ex tormentis grandioribus, dejicit partem turris sublimioris in arce, quæ nociva erat castris. Ibi nescio pretio ne inductus explofor tormentorum an fato factum, quod præcipuum tormentum, videlicet Virginem polonam nimis pulvere obonerando dirupit, cujus globus ponderabat nonaginta libras. In cujus locum aliud tormentum adducitur, crudelis Virgo quæ Lithuana fuit, in quo hi versus sculpti erant.

=====

Crudelis Virgo, fœdus, pacemqve perosa  
 Castra seqvor; vastans fulmine cuncta meo.

Latibula ex quibus jaculabatur ad arcem duobus in locis fixa erant, in primis, plures lædebantur ex vallo, periere in illis novem Rotmagistri pedites, nec quicquam nocere poterant arci. Donec alius locus repertus, ubi non nisi murus erat nudus absque vallo, ibi cum jaculatum fuisset, brevi tempore Svecos ad deditionem cogebant. Erat tum in Albo Lapide superior quidam hispanus, Alfonsus cum socio suo, nobili Livone Mandifell, qui ad extremum usque periculum, arcem dedere nolentes, nisi quodammodo pedites fame exhausti, resistere cœpissent huic capitaneo hispano. Contigit & illud memorabile in hac obsidione, quod cum pecuniæ adductæ essent ex Polonia, pro solutione militum: nescio quis proditor ex castris Polonorum ad Svecos confugit, illis de pecuniis intimando, & locum ostendere velle promittendo, ubi depositæ. Itaque qui in arce meditantur quo pacto duce proditore pecunias eripere possent; tendunt itaque intempesta nocte recta ad locum ubi pecuniæ pridie conservatæ fuerant: sed jam alio delatæ. Excubiæ nostræ advertunt hostes, mox classicum canunt, fit tumultus in castris. Sveici rebus infectis cum pudore trepidi ad mœnia se recipiunt.

Nec illud prætereundum, quod mulier quædam nobilis in arce, cujus maritus erat captivus in castris nostris, per puerum suum scripserat literas ad maritum suum, quæ a Svecis interceptæ superioribus retulerunt. Mulier examinata, in quem finem id fecerit: respondet se ad maritum scripsisse, de quo illi major, quam de arce cura esset. Illi mulierem capitis condemnarunt, & caput ipsius palo infigere jusserunt: puer vero laqueo suspensus, extinguitur.

Tempore ejusdem obsidionis, Germani equites, qui in castris nostris militabant, adjungentes sibi velites, quos vulgo Cosacos vocamus, insperate veniunt nocte sub Wefenberg alias Rakibor, Germani cum illis qui in arce, communi lingua loquuntur, asserunt se Revalia missos, illis in auxilium, credunt illi, intromittunt nostros, quos subsequuntur Cosaci, poscunt ut ultro sine effusione sanguinis ex arce discedant: hi decepti nolentes volentesque arcem cedere coguntur.

In fine vero mensis Septemb: postquam Album Lapidem nostri obtinissent, Joan. Samoyscius eo quod exercitus polonicus diuturno exhaustus bello, muniendo Album Lapidem, Felinum, Rakibor & cæteras arces hosti non sine magnis sumptibus laboribusque ereptas in finibus Æsthoniæ sitas, præidiis sufficientibus in Poloniam revertitur cum exercitu. Relicto in Livonia Joanne Carolo Chodkevicio, quem belli ducem

substituit, qui tum cum fratre suo Alexandro Chodkevicio recentioribus cum copiis in Livoniam advenerat. In discessu Samoyscii plectuntur capite Felini, quatuor Liuones perduelles nobiles, ex decreto ejusdem belli ducis Samoyscii: Franciscus Blankfelt, qui crudelior in Polonos captivos extiterat. Nam si quis ex polonico exercitu captivus adducebatur, illum nudum ad palum alligatum, depicto in pectore, e regione cordis, effigiem humani cordis, sclopetorum ictibus tanquam ad scopum directis non sine tyrannica crudelitate, interficere jussit. Alter Gasparus Rolant, qui Oeconomum derpatensem Georgium Schenking Episcopi wendensis fratrem, Dominum suum captivum, [nam ex captivitate idem Oeconomus jam effugerat] ad Carolum reduxerat. Tertius Jacobus Swartz, qui consilium dederat, ut pulveres supponerentur Felini sub palatio quodam, quo nostri arcem adoriri tentabant, ut per tecta ejicerentur. Vti superius relatum est. Quartus Odert Tödwen, qui Georgium Farensbach Dominum suum in invasione arcis, ex mœnibus sclopeto trajecerat.

His ita peractis, post discessum Samoyscii, Dux belli recens Carolus Chodkevicius, colligens exercitum Mille Sexcentorum obsidet Derpatum mense novembri, totaque hyeme civitatem premit obsidione, non sine magna militum molestia. Nec id quoque exercitui adjumento fuit,

quod quamvis propter crebriores excubias, quas integra nocte peragere tenebantur, satis jam exhausti milites, etiam cum Dux belli intellexisset, hostem tendere Wefenbergam, velleque expugnare, quo adepto hostis etiam Derpatum venire pollicebatur ad ferendas suppetias suis qui Derpati in obsidione erant, exercitum suum sat exhaustum exiguumque dividere cogitur, Chodkevicius mittit medietatem videlicet octingentos hostibus obviam sub Wefenberg, quos ferunt fuisse tria millia, conflagunt cum Polonis cæduntur Sveci ad Mille & plures, quo in conflictu præcipui ex perduellis Livoniæ Nobilibus, ultra centum perierunt. Qua victoria reportata nostri recedunt Derpatum, captivos secum nonnullos adducentes, inter quos non postremus erat Vexillifer Svecici exercitus, nobilis vero Livoniæ Christoph. Treiden, vir robustus & procerus, quem Jacobus Zalescius juvenis adhuc, socius Domini Rothæmagistri Dabrowæ ab equo dejectum, Vexillum ei eripuit, cepit, vinctumque duxit ad castra. Facta hæc mense Februario circa principium anni 1602.

Hi vero qui in civitate premebantur obsidione, cum nullas cernerent sibi a Svecis ferri posse suppetias, defendunt se tamen ad Pascha vsque, & cum non restaret spes evasionis, tandem se dedere coguntur, certis tamen primo cum nostris initis conditionibus. Sveci itaque & exteri Milites dimittuntur a Duce nostro: Qui vero ex

nobilibus Livoniæ Carolo Sudermaniæ adhæserant, & Derpati in obsidione erant, volentes ab hinc fideles esse, iterum & nomina sua dare Regi Poloniæ, a nostris recepti sunt.

Capto a nostris Derpato exercitus per mediam æstatem quiescit eo quod non offerebatur occasio congregandi cum hostibus, qui tum temporis sub Revalia morabantur. Mense vero Junio Dux belli Chodkevicius, Fiat mentio Neurodi qui ociari cum suis diutius astu cepit villicum quen- nolens, exercitum paucum, præter octingentos dam. secum non habens, hostem etiam sub mœnibus Revaliæ quærere constituit. Confligit cum illis, eripiuntur hostibus tum temporis Vexilla IX, cæduntur ex svecico exercitu quadringenti.

In autumno secunda vice Dux belli Chodkevicius cum suis irruptionem facit in districtum revaliens. vsque Narviam progressus cum 600 tantum. Tum temporis ingentem prædam armentorum & pecudum nostri secum abegerunt, ad X ferme millia. Hoc autumno pestis grassare cœpit, ideoq; Dux belli exercitum dimittere cogitur. Quapropter hac hyeme sequenti & toto ferme anno, nihil vtrinq; præstitum fuit, quod dignum esset relatione, præter id, quod in æstate sequenti, anni 1603 mense Augusto, felinenses Milites, cum suo Rothmagistro Dabrowa, irruptionem facientes, sub mœnibus Pernaviæ, Suburbium antiquam Pernaviam exusserunt.

Verum non multo post pernavienses Milites recolligentes vires volentesque vlcisci injuriam a Polonis factam Pernaviæ, cum quingentis equitibus veniunt in districtum felinensem. Verum nostri per exploratores de hostium adventu, facti certiores ex arce erumpunt, Sveci intelligentes Polonos obviam illis procedere fugam maturant, sistentes vltra fluvium in loco tutiori, vbi ordinata acie, alii vero per insidias, latitantes inter sepes, cum nostri eos insequuntur, & difficilis transitus esset fluminis ab altera parte nonnulli sclopetis interficiuntur. Inter quos etiam ipse Dabrowa Rothmagister faucibus vulnere sclopeti æger cum suis revertitur. Non erant autem plus centum cum illo tum temporis.

Anno 1604 post festum Paschatis, cum maximæ istis in partibus soleant esse fluviorum inundationes, qui ibi crebriores sunt, ipsa Militum inedia Felini, coegit illos, vt insperate excursionem facerent sub mœnibus Pernaviæ, idque bis infra octiduum. Prima vice abigunt pecora omnia, quæ in pascuis invenerant, altera autem vice, quinquaginta equos, nobilium equitum, qui tum Pernaviæ hyberna agebant, adduxerunt.

Eodem anno vigesima quinta Septembris habitus est conflictus cum Svecis sub Albo Lapide satis notabilis & Svecis miserabilis, quorum exercitus numeratur ad 7000. Polonorum copiæ tantum Mille octingenti longe impares numero atque

fortuna. Cæduntur Sveci in hoc conflictu tria Millia & amplius: nostri tantum XL occubuerunt, præter eos qui vulnere faucii tamen vivi remanserunt. Qua strage percussus Carolus suum belli Ducem in Sveciam accersivit, eum captivitate mulctat, & tanquam belli inexpertem, sua imperitia, exercitum illius perdidisse accusat & damnat; Victoriæ non Deo justæque causæ, sed experientiæ militari adscribendo. Quapropter abhinc suis belli præfectis absente ipso prælia cum Polonis committere vetat.

Anno 1605 die 3 Januarii, Sveci colligentes reliquias suas cum mille quingentis intempesta nocte, insperate *Album Lapidem* invadere & occupare moliantur, plane illa die qua incidit Festum Nativitatis Dni. Soteris nostri J. C. juxta vetus calendarium, existimantes se aliquid memorabile effecturos, si festo die suo, grande & præclarum opus machinarentur. Verum Ministri evangelici, qui Revaliæ de eorum consiliis sciebant, non adeo rata esse præscientes, illis uti par erat benedictes, quod festa sua violare, & sanguine contaminare statuerint: etiam in publicis concionibus exprobrare hanc improbitatem non sunt veriti. Itaque cordati hi Milites uti diximus inopinate sub mœnibus & vallo venientes ea spe freti eos omnino *Album Lapidem* occupaturos, per insidias vallum ascendere contendunt. Verum vigiles qui excubias agunt in vallo, hostem advertentes,

superiori Georgio Czechovio indicant, mox classicum canitur, ad arma Poloni se proripiunt, cum tamen in arce, tum ultra octoginta pedites non essent, strenue se defendentes, hostes a vallo & mœnibus avertunt, interficiuntur Sveci CL. Et cum nihil se efficere posse advertunt, cum pudore discedere coguntur. Venientes autem Revaliam a suis propter infamiam in civitatem recepti non sunt. Quo tempore tamen Czechovius Præfectus arcis, sclopeto interfectus. Anselmus autem Ketlicz Rothmagister læsus in posteriora.

Aestate sequenti, circa festum S. Joannis Baptistæ, Andreas Linderson belli præfectus Caroli, collegit Militem suum, Wefenbergum oppugnat & expugnat, dimittit pedites qui in arce erant, Rothmagistrum & ejus vicem gerentem in Sveciam relegat.

Anno 1605 ex Germania Comes quidam *Jovon* Mansfelt, adjunxerat se Carolo Sudermaniæ, quem idem Carolus navigio, cum non parva Militum manu videlicet Sex Millibus Rigam misit, Mense Augusto: Vt Rigam infestaret, quo tempore Rigenses Suburbium suum secundo exurere coacti sunt, propter metum hostium. Multis minis & terroribus deditionem civitatis extorquere conatur. Verum cum Rigenses his parum territi, deinceps promissionibus sui Principis eos allicere studet, vt se dedant:

Sed cum Rigenſes Chodkevicio ejusque exercitui confiderent, & minas & pollicitationes hujus Comit̄is *von Mansfelt* parvi faciunt imo explodunt.

Tandem cum Chodkevicio innotuiſſet per exploratores, Andream Linderſon belli præfectum ſveticum, cum 4000 tendere Pernaviam ad Carolum Ducem Sudermaniæ, qui tum propria perſona appulerat cum 4000: Volens jam extremam fortem tentare cum Polonis, ſciens quoque exercitum Polonorum, non eſſe plus numero, trium Millium. Itaque ipſe et Sveciæ Principem, et belli Ducem agens, collecto exercitu univerſo 15000, primo venit Rigam, fretus multitudine militum, ex experientia ſua bellica, certam ſperabat victoriam, vti quidem certiffima fuit, non Carolo Sudermano, ſed Carolo Chodkevicio ( ſic enim ludit fortuna in adverſis ) qui tum, vix tria Millia polonici exercitus ſecum habuit. De paucitate igitur Polonorum reſciens Carolus, alacriter quærit noſtros, Chodkevicius vero tum caſtra *Kirchholmi* fixerat, duobus ab vrbe Miliaribus. Acies igitur ſibi ex oppoſito vtriuſque exercitus ordinantur, Chodkevicius etſi longe ſuperaretur numero ab adverſa parte, caſtra tamen ſua movere loco non juſſit. Poloni expectant, præſtolantur Svecos, loco hærent fixi. Verum cum propius accedere cernuntur, Lechi fugam ſimulant, vt ſveticum exercitum in apricum campum hac ſua fuga provocarent. Atque cum

Sveci acriter infequerentur Polonos: Verum Poloni advertissent satis capace[m] locum esse conflicendi & confringendi hastas, præter spem Svecorum, revertuntur & impetum faciunt in Svecos, quorum acies vndequaque lanceis circumseptæ, vt difficilis esset incurfus ad eos, Polonorum aliquot egregii Milites terrorem deponentes, audacter acies lanceatas non sine vitæ periculo irrumpunt, alios suo exemplo provocando ad dimicandum fortiter, magno impetu fortique animo, non paucas lanceas Svecorum confregerunt, quo patente aditu, cæteri mox subsequuntur, impetum facientes in acies Svecorum, multitudine parum territi, ordinatas acies facile turbant, miscent, variant ac sine ordine confusi pugnant Sveci, facile a Polonis cæduntur, & pecudum instar maectantur, adeo vt a XV Millibus vix tria M. & ii quidem faucii vulneribus, cæteri semivivi evaserint. \*

Carolus Sudermaniæ Dux videns adversam fortunam, & suos cæsos, remque jam vti ajunt ad triarios redactam, deposita audacia vix fuga

\* Hujus conflictus & victoriæ tam celebris omen, quidam ex Chodkevicii Ducis addictis, traxit ab ipso nomine, Joannes Carolus Chodkevicius Dux, faciens anagramma: I vinces o Carole hodie ad VXM, hoc diticho:

Carole per paucis hodie Dux, I pede fauste!

Vinces quinque decem Chodkevicz millia Svecos.

evasit, ut tertio insidendo equo ad naves perveniret. Perierunt tum in hoc conflictu egregii duo heroes, ex parte Caroli Dux luneburgens. & Andr. Linderfon belli præfectus Caroli : quos non solum Carolus Sudermanus, verum etiam Chodkeuicius ipse interiisse plurimum doluit.

Nec illud prætereundum, quod ipso tempore & hora conflictus, Dux Curlandiæ Guilielmus cum trecentis equitibus Germanis per vada Dunæ periculosissima Polonis in auxilium venerat, magni fortisque profecto animi indicia præbens, quippe qui nec fluminis aquarumve periculis nec multitudine hostium absterreri potuit, quin prælio interesset, juvaretque Polonos, quo facto plane heroico fidem præstitam Polonis, satis probatam esse voluit. Qua strage Suecorum Carolus Dux Sudermaniæ ascensis navibus trepidus in Sueciam properat. Chodkeuicius vero parta tam celebri victoria, Deo cujus auxilio fretus, hostes superarat, ad soluendas gratias Rigam se confert. Media vero pars exercitus polonici, eo quod per hyemem minus esset necessaria dimittitur: altera pars propter præsidia, moratur in Livonia per hyemem & æstatem.

Anno 1606 in æstate Demetrius Magnus Dux Moschoviæ, quem Joannis Basilidis Tyranni, magni Moschoviæ Ducis filium fuisse ferunt, a  
 suis

fuis interficitur: qui brevi tempore ope & auxilio Polonorum vniversas Moschoviæ ditiones & ipsam Metropolim sibi subegerat.

In margine. *Omen.* Autumno vero sequenti, quod mirum dictu, vrsi quam plurimi ex Moschovia in Livoniæ lustris & cremis venientes, certant cum ursis qui in Livonia n. . . . ( forsan non infrequentes ) ita vt vtrinque plurimi ceciderunt.

Anno eodem, eademque æstate, Svecus de novo exercitum colligens, cui præfecerat Comitem von Mansfelt, invadit Livoniam, verum cum militi nostro, a multo tempore solutio esset retenta: & quia in Polonia quoque discordiæ suboriebantur novæ, ita vt multi Magnates rebellionem molirentur, & obedientiam Regi Sigismundo III præstandam prohiberent. Iccirco pecuniæ, quæ tum in thesauro erant, ad intestinos tumultus sedandos reservabantur, vt Militi Livoniæ solvi non posset, quapropter confæderatione inita, exercitus polonicus ex Livonia discedit in Litthuaniam, vbi vsque ad solutionem, regia sibi bona vsurpat, ex quorum proventibus, se suamque familiam sustentant Milites. Verum cum solutio diutius differeretur militi, per biennium ferme, iccirco in Litthuania quiescit. De hac vero rebellionem quæ per annos tres consopiri non poterat, in Regno Poloniæ, quia nostri non est instituti cum saltem Livoniæ res recensere statuimus, plura scribere hoc loco opus haud esse censeo.

Hac itaque occasione Mansfeldius in Livonia, dum non est qui resistat, minime otatur, cum suis, arces Livoniæ aliquot occupat, ut pote Wolmariam, Trikatem, Burtnik, Ernis, Helmet, expugnat quoque Wendam & deserit. Verum non diu iis potiuntur. Nam Wolmaria a Chodkevicio circa festum S. Martini recuperatur, ubi relictæ erant trecenti equites Germani a Mansfeldio, ut se ibidem tuerentur, qui se dedere coguntur, cum nocte civitatem nostram occupassent, quamvis illi in arce se defendebant. Verum quam impar sit pugnandi ratio, Polonorum & Svecorum: Nam cum Mansfeldius Wolmariam expugnaret, aliquot Millia secum habuit, in arce saltem erant XV, qui se tuerentur. Facilis expugnandi ratio. Verum Chodkevicius recuperare volens Wolmariam, trecentos equites reperit, ipse saltem Mille colligens Polonos, reliquias ex variis arcibus, germanos equites ad deditorem cogit. Ex cæteris vero arcibus ipsi ultro discedere coguntur,

Anno 1607 Mense Junio, nostri qui Derpati fuerunt, collectis aliquot vexillis equitum peditemque, excursionem facere volentes in districtum revaliens, ut prædam aliquam nancisci possent: quorum Superior erat Zborowsky junior. De qua excursionem, cum exploratum haberet Mansfeldius, mittit octingentos eis obviam, ut in sylvis insidias struerent Polonis. Nostri ne-

sciens fraudem Svecorum, securi depositis sclo-  
 petis absque ordine procedunt, qui incauti in-  
 cidunt in Svecos facile cæduntur, vt pauci ad-  
 modum evaserint. Zborowius capitur, & in  
 Sveciam relegatur: Vbi dura nimis premitur ca-  
 ptivitate. Capto igitur Zborowio ab illo ex-  
 plorata habebant, quæ in Albo Lapide & alibi in  
 arcibus fierent. Statim hi 800 equites Felinum  
 pergunt, vt expugnarent arcem: Verum cum  
 parum nocere possent arci, oppidum exurunt.  
 Vbi tamen tum temporis ex arce in plateis inter-  
 ficitur Rothmagister equitum, aliique haud pauci.  
 His itaque Felini peractis, equites germani Re-  
 valiam revertuntur. Comes vero von Mansfelt,  
 Dux belli Svecorum, colligit 5000 sui exercitus,  
 insperate invadit, Album Lapidem occupat & ex-  
 pugnat, interficit omnes, etiam Superiores arcis,  
 duos Rothmagistros Gacewsky & Mlodzanows-  
 ky, Viri uterque fortis & heroi animi, qui po-  
 tius mortem quam deditionem facere elegerunt.  
 Tormenta bellica grandiora, a Joanne Samoiscio  
 ibidem relicta Revaliam abducuntur, quorum  
 præcipua fuerunt: Virgo crudelis, Lupus, Fal-  
 co, Serpentes duo &c. Sveci autem obtenta ar-  
 ce sperantes se thesaurum inventuros in fornicibus  
 vltioribus, vbi pulveres tormentarii depositi ser-  
 vabantur, ignem secum ferentes, incauti pulveres  
 accendunt, magnam mœniorum partem disjiciunt,  
 pereuntque simul vno momento Mille ducenti.



Hoc igitur stratagema cum pro votis cessisset Mansfeldio, & Album Lapidem non sine magna nominis fama expugnasset, eodem cum exercitu, aliquid majus molitur, pergit Derpatum, obsidet, sperat se eadem facilitate civitatem obtinere posse, vti Album Lapidem, sed fortuna illi jam non favens, postquam quatuor septimanas vel quinque obsedisset & magnam mœniorum partem effregisset jaculando, bis suos animat, vt incursum faciant ad civitatem, sed vtraque vice repulsam passi nihil effecerunt, præter id quod in illa invasione perierint ex svecico exercitu ultra 600. His machinationibus nihil nocens iis qui in civitate erant, alias technas struere Derpatensibus molitur, cuniculos fodere jubet, sub mœnibus & turri vbi suppositis pulveribus murum disjiceret, & sic arcem irrupere posset: quod ipsum nostri in arce advertentes, obviam fodunt. Sic terra obruti Sveci ad 200, cum quibus etiam periit quidam ex nostris Militibus germanis nomine Ridder, is enim omnium primo hunc dolum a Svecis excogitatum advertit. Quod opus callidum cum illi quoque non cessisset pro velle suo: cum pudore obsidionem solvere, & discedere nocte cogitur: Verum non longe a civitate castra movit, vno Milliarum. Nostri emptionem facientes, ex arce & civitate, clam castra invadunt Svecorum in aurora, occiduntur ultra Mille Sveci a nostris, reliqui fugam maturant.

Inde discedens Mansfeldius cum exercitu reliquo, pergit Wolmariam: Verum nec ibi quid efficit. Nam Woldimarus Farensbach junior cum suis se strenue defendit. Deinde mittit exercitum versus Kiriempe, & occupat arces Livoniæ minutiores, depopulatur Livoniam tempore hyemis: tum temporis a nostris in Livonia nihil præstitum, quia Miles omnis erat in Lithuania, præter præsidia in paucis arcibus. His præstitis Comes von Mansfelt Revaliam revertitur cum suis, deferens arces a se spoliatas.

Anno 1608 Mense Augusto, Comes von Mansfelt, iterum novo cum exercitu cum octo Millibus appulit ad ostia Dunæ, obsidet arcem Dunamundam, vbi per septimanas duas vel tres commorando, per tractata & pacta obtinet munitionem, omnium aliarum Livoniæ arcium ferme munitissimam, a Superiore arcis N. Bialozor, qui nullam sentiens hostium vim vltro arcem Mansfeldio cessit: & vti quidam referunt, pro non parva pecuniæ summa vendidit. Dunamunda occupata Mansfeldius propugnaculum extruit in ripa ad ostia Dunæ e regione arcis Dunamundum, vt prohiberet navigia Rigensibus, & ad deditionem facilius cogeret. Interim Carolus Chodkevicius, cum jam in Polonia sedati essent tumultus intestini, cum exercitu venit in Livoniam. Sperans Mansfeldium solito more prælium commissurum. Verum Carolino cautior factus periculo, (nam



Mansfeldius in conflictu sub Kircholm præfens non aderat, quia ægritudine se excusabat) animum inducere non potuit, ut confligat cum Polonis sub Dunamunda, quamvis longe copiosorem habebat exercitum, quam Chodkevicius. Et cum sæpius fuisset a Chodkevicio sollicitatus Mansfeldius, ut manus consereret, & prælium committeret: pro responso dedit, se a suo Principe Carolo id non habere in mandatis. Quapropter Mansfeldius suis castra metari jubet sub mœnibus Dunamundæ, ut tutiores essent ab incurfibus Polonorum, quia tormentis ex arce facile defendi poterant, præterea castra sua Sveci fossa cinxerant. Chodkevicius videns Svecos ab arce in campos prodire nolle, non longe inde sub Nova Mola sua castra fixerat. Crebriores igitur excursions a nostris fiebant, cum saltem intelligerent Svecos vel paululum ab arce recessisse. Ipse Mansfeldius non fidens castris propter metum Polonorum, intra mœnia se continere tutius esse censet, & intra X hebdomadarum spatium, Dunamundam novo vallo cinxit, adeo fervebat opus ut 300 operarii nimio labore confecti interierint.

Tandem non multo post, cum Sveci scirent, Polonos sæpius ex castris quæ duobus Milliaribus a civitate distabant, Rigam securos ire, ipsi clam in via insidias struere cœperunt Polonibus, ut incautos caperent: quod cum a nostris animadver-

sum mox Chodkevicius, centum vel plures ex suis castris, ut insidiatoreS Svecos deprehenderent, qui quam primum nostros intuiti, mox ad castra fugiunt: Poloni eos insequentes ad castra usque Sveci turmatim ex castris suis erumpunt, conferunt cum paucis, qua in altercatione, ex utraque parte non pauci vulnerati, nonnulli etiam capti, aliquot interfecti: Ex Svecis vero temporis centum octoginta ceciderunt, cum illis qui aquis suffocati.

Verum nec illud silentio involvendum, quod postquam Mansfeldius facili negotio Dunamundam occupasset, misit aliquot Millia, ut Kokenhausium expugnarent, ubi tum nulla praesidia praeter paucos equites germanos servabantur, quorum Rothmagister fuit Gæcz. Qui videntes in arce se ad sustinendam vim hostium impares esse, aliquandiu se tuentur tandem per tractata se dedunt. Dimittuntur Germani liberi, solus Rothmagister Gæcz detentus aliquandiu, deinceps per equites gallos qui Carolo jurarunt, Dunamundam ad Mansfeldium captivus *deducitur*. Hic Gæcz gnarus linguae gallicae, in itinere persuadet Gallis ut deficiant a Carolo tanquam Principe non legitimam causam belli habente, quod cum Polonis ciceret: praeterea Polonos esse Catholicos, Carolini Haeretici. Insuper Carolum in solvendo Militi suo, parum unquam promissis stetit. His svasibus inducti equites galli, quorum

erat numerus centum & triginta, cum suo captivo ad Chodkeviciam confugiunt, qui illis solutionem certam promittens, libenter est amplexatus: qui etiam magno usus fuerunt Chodkevicio uti inferius dicitur, & fidem datam Polonis, multis argumentis contestatam esse voluerunt. Riga itaque in medio hostium sita, qui utrinque navigia Rigenfibus prohibebant, Kokenhausio & Dunamundæ, unde non parva incommoda oriebantur Rigenfibus. Dux belli Chodkevicius operam adhibet ut illos, qui Kokenhausii erant, Svecos inde expugnaret. Quapropter missis aliquot Rottis peditum equitumque, quorum Superior erat Jo. Czudowsky Vir fortis & militaris disciplinæ gnarus, ut iterum Svecos obsiderent in arce, qui donec impetum nostrorum non sentirent, se tuerentur. Verum postquam tormenta grandiora adduci sensissent Sveci, & bis terve jaculatum fuisset ad turrin arce in qua porta iam antea a Carolo Sudermanio debilitata, abjiciunt animum, & ad deditionem arce, cum se tueri non possent, inclinantur. Sic nostri recuperata arce, Svecos dimittunt ad suos.

Occupato a nostris Kokenhausio, Mansfeldius meditatur quid gravius moliri Rigenfibus. Non enim satis videbatur illi propugnaculum ad ostia Dunæ extruxisse, ut navibus transitum prohiberet: Verum ut totus esset aditus interclusus navibus, quæ mercaturas exercebant, jussit naues XIV suas,

tormentis & munitiōibus navalibus bene instruktas ordine collocare in ipsis ostiis fluminis. Quod sane ægre ferentes Rigenses, Mansfeldio pro invidia astu solvere statuerunt. Instinctu igitur atque consilio Ducis Chodkevicii excogitato stratagemate sat artificioso & callido, curant Rigenses naviculas, scaphas quas vulgo strugy vocant, tres adornare, has canabe oneratas & illinitas pice, permixta pulveribus tormentariis & sulphure, mittunt sub naves svecicas. Aptissima sane fomes ad concipiendam flammam, & excitandum incendium. Conducto ad hoc negotium Viro perito ex civitate, qui opus hoc ad effectum perduceret. Hic igitur Magister & Instructor artificii secundo ventu, furtim se subducit sub naves Caroli, accensa cannabe, vnde ventus flammam in naves carolinas impelleret, ipse exiliens cum suis enatat. Naves vero svecicæ tres a flamma superatæ, cum omnibus qui in illis erant combustæ. Perierunt hoc incendio ultra 400 Sveci. Quarta vero navis, non post multos dies annonam vehendo iis qui in propugnaculo degebant, etiam cum commeatu & tormentis a Rigensibus capta & Rigam abducta. Quo territus stratagemate Mansfeldius, timendo ne quid gravius sequeretur, ascensis navibus pergit Revalam, relictis castris sub Dunamunda. Illi vero qui degebant in castris, intelligentes suum belli Ducem fugisse: clam ne a Polonis in via infe-

querentur, Pernaviam fugiunt. Præsidia vero quæ Mansfeldius in propugnaculo reliquit, sentientes, & Ducem belli suum fugisse, & exercitum cum Duce, non diu post propugnaculum, vltro deserunt, fugiuntque. Et sic relictis saltem sexcentis Dunamundæ, Mansfeldius ipse cum toto exercitu revertitur ad suum principem, qua gratulatione & lætitia exceptus, facile conjicitur. Exercitus vero noster, cum obmunitionem loci, & imminentem brumam arci nihil nocere possent, eo quod penuria erat peditum, per arces Livoniæ distribuitur. Hæc contigerunt Mense Novemb. anni 1608.

Anno 1609 in capite jejunii, Carolus Chodkevicus, habens collectum Militem suum, cum intellexisset septingentos Svecos missos esse cum suo Capitaneò Dunamundam, vt iis qui in arce erant commeatum & victualia adveherent, & recentiori Milite arcem munirent. Ipse simulans se hostes in via intercipere velle, studio eos libere prætermisit: interim aliud quid molitur, pergit cum suis Pernaviam & cum illi prætereundum esset Salis, vbi Sveci propugnaculum extruxerant suum, ab iisdem advertitur, qui confestim tres nuncios Pernaviam per diversas vias ad suos qui Pernaviæ erant expediverunt, vt illos de Polonorum exercitu certiores facerent. Quorum duo a nostris intercepti, tertius tamen evasit & eadem ferme hora Pernaviam venit, qua nostri adventabant,

fed nocte: nesciens tamen de numero nostrorum, & qua mente eo venerant. Illi qui in civitate & arce erant, de nostris notitiam habentes existimantes eos venisse vt prædam aliquam secum absportarent, aliquot tormenta explodere jubent, vt symbolum darent subditis, hostem in confiniibus esse, & vt ad sylvas confugerent: Nescii quid nostri machinantur sub mœnibus. Itaque cum in prima vigilia noctis nostri cum Duce suo sub mœnibus venissent & omnes ferme parati, armata manu civitatem adoriri & vallum ascendere, antequam jaculatum fuisset ex tormentis in arce, verum auditis tormentis nostri existimantes jam Svecis constare, eos sub mœnibus esse, perterriti recedunt ad sylvas, ibi per diem noctemque latitantes, altera nocte, inceptum opus moluntur. Sveci † putantes nostros jam recessisse inde securi, bene quiescunt. Itaque iterum sub civitatem Chodkevicius cum suis nocte veniens, primo machinas tres, quas Petardas vocant pro effringendis portis, secum habens, clam deferre jubet ad portas civitatis a Gallis qui eas instruxerant: Nostri eos paulatim subsequuntur absque ullo strepitu, donec a vigilibus jam sub ipso vallo advertuntur, qui intimantes iis qui in arce & civitate erant hostes sub mœnibus, trepidi arma rapiunt, jaculatur ex tormentis, nemo vero læditur ex nostris. Interim nostri adornant & † Celebrabant sua bachanalia & læti tripudia saltant,

applicat Petardas primo cancellis & portis civitatis, accensis effringuntur & ejiciuntur portæ, Nostri statim in civitatem irrumpunt, pugnatur acriter, ex vtraque parte cæduntur Sveci & Poloni promiscue, plures tamen ex adversa parte læduntur & vulnerantur non pauci ex nostris, etiam ipse Instructor & Magister Petardarum. In hac pugna, alii ascendentes per vallum præeunte Vexillifero Jacobo Madalausky qui tum etiam sclopeto læsus in vallo, mox & arcem occupant. Nostri invalescunt numero & viribus, arcem quoque invadunt, obvios quosque cædunt, cæteri videntes nostrorum impetum, palatium occupant inde se defendunt, donec crastina luce se victos esse & deceptos, dedere & misericordiam petere coguntur. Sic igitur verum illud vulgare: ars deluditur arte. Vbi enim Mansfeldius insperate Album Lapidem Polonis, sic Chodkevicius Pernaviam Svecis, eripuit, relicto ibidem Capitaneo Madalausky.

In vere hujus anni 1609, ne Mansfeldius iis qui Dunamundæ morabantur, suppetias ferre posset, duo adhuc propugnacula, alterum a Rigensibus alterum a Chodkevicio extruuntur, ita ut difficilis adeo esset ad arcem editus. In Junio igitur triginta naves & sex mittuntur a Carolo Sudermanio in auxilium, quæ Dunamundæ detinebantur, sed propter propugnacula, quæ accessum navibus prohibebant, remotius a littore

anchora sua figere coacti sunt. Sed ut tamen Sveci suos animarent in arce, ne se dedant, vrinatorem aliquem & natandi peritum cum literis expediunt, nomine Appelmañn, & in mare demittunt, qui medio milliari natando ad littus furtim ad arcem in arenis ut serpens rept, ut eo tutius ad suos perveniret & literas deferret: Verum nec hic astus quicquam profuit Svecis, nam a nostris advertitur, capitur vna cum literis. 4. Julii.

Rigenses autem hosti quoque suum ostendentes studium, triremes suas, vulgo Galleros tres & Milite & tormentis bene munitos mittunt, ut certent cum navibus triginta sex Carolinis, qui cum propius aecedunt, utrinque jaculatur ex tormentis, Rigenses crebrioribus ictibus navim primariam ita obruunt, ut submergeretur cum omnibus. Alteram vero navim quoque adoriuntur, malum & carbasa abrumpunt adeo ut vix effugerit. Cæteræ videntes hîc locum longioris moræ non esse, vela dant ventis, & revertuntur qua venerant.

Dum hæc aguntur in Livonia, Rex Sigismundus III cum magno comitatu Vilnam venit, magno cum applausu excipitur Vilnensium: quo audito etiam Dux belli Chodkevicius ad regiam Majestatem Vilnam venit, petit ut illi augeatur exercitus, relicto in loco suo Thoma Dabrowa,

qui cum octingentis saltem equitibus & paucis pedibus, Dunamundum obsidet.

( 4 Junii Caspar Matz Rothmagister Svecicus cum 700 venit prædatum sub Pernaviam, sed is nisi cum pudore discedit.)

Expeditis negotiis apud S. Majestatem regiam, Dux belli Vilnâ rediens in Livoniam, aucto jam Milite, acrius premit eos, qui Dunamundæ obfides erant. Mansfeldius vero cum suis Dunamundæ suppetias ferre haud posset, aliud molitur opus, Pernaviam obsidet [ 18 Jul. ] cum novem Millibus. Vt hac ratione Ducem belli Chodkeviciam ab obsidione dunamundensi avocaret, ferretque suppetias Pernaviensibus, quo pacto sperabat Mansfeldius suis interim auxilium ferre posse, qui Dunamundæ pressi' obsidione. \* Obsides vero poloni Pernaviæ, fidentes Duci suo, strenue se tuentur: etsi multis machinationibus Mansfeldius deditionem ab illis extorquere conabatur. Nam & propugnacula extruxerat præsidii & tormentis bene muniens, vt tanto vehementius Polonos terreret, quorum propugnaculum maxime nocivum fuit nostris, quod in antiqua

\* In festo Pentecostes juxta stylum veterem, Jac. Madalausky, expedit 220 sub Lode, qui insperate incidentes in Germanos, vix arcem eorum occupassent, adeo vt nostri jam aliquot, pontem qui per noxam subducitur, apprehenderent, exurunt oppidum, armenta ad 400 abigunt, 50 equos Germanorum abducunt, interficiunt nobiles.

Pernavia situm erat, ex hoc enim lædebantur nostri, quippe ex quo aquam haurire ex flumine obsidibus prohibebatur.

Mense vero Augusto, cum iam aliquot septimanis Pernavia obsidione pressa, Dux belli Chodkevicius quomodo suis ferat suppetias sollicitus, relicta parte exercitus sub Dunamundam cum tribus millibus tendit Pernaviam, 22 Augusti castra movit. Ultima Augusti quatuor milliaribus Pernavia vespertino crepusculo, cum Mansfeldio de adventu Ducis nostri innotuisset, timens ne hæc obsidio illius causam daret conflictus cum Polonis. Stratagemate excogitato, ut quod viribus difficile erat, arte & astu præstaret. Eligens iccirco ad tria millia ex suis animosiores & ad pugnam validiores, quibus mero propinato, animum majorem addit, ut castra Polonorum audacter invaderent, & incautos trucidarent. Temulenti itaque ut dictum est superius Mansfeldii miles, irruptionem maturat in castra Chodkevicii. Verum primo in excubias nostras impingentes, Duci de præsentia hostium referentes, vix illos præcedunt ad castra, subsequuntur e vestigio hostes, castra invadunt insperate. Verum parvo cum fructu. Nam Dux & milites velociores ad arma se proripientes, pedites quoque sclopetis fortiter hostem reprimentes, ex castris exturbant, qui vero ulterius in castra irrepserant, a lixis & calornibus caduntur: fugientes vero nostri insequuntur

cadunt, circiter trecentos, ereptis quatuor vexillis, cæteri maturantes fugam, trepidi arma & equos deferunt: quærentes in sylvis latebras: perit in hac fuga Capitaneus Lodenfis.

Mansfeldius hac suorum strage percussus: vim Polonorum pertinescens, advertendo quoque se suo dolo deceptum, viam ad se, Polonis intercludere statuit. Jubet igitur propere sylvas succidere & viam qua nostris eundum, arboribus & trabibus varie stratis impedire: quod ipsum per exploratores Dux advertens, qui tunc saltem quatuor Pernavia distabat milliaribus consilium inquit, cum suis, propositum nequaquam esse immutandum imo consulendum, quomodo ad effectum res deducatur. Conclusum erat igitur aliâ viâ, siquidem illa ab hostibus interclusa, sub Pernaviam eundum. Itaque per sylvas & invia viginti milliaria & aliquot insuper circumire coguntur, versus Felinum, inde vero Habseleensem viam qua Revaliam itur Pernavia arripiunt, non sine magno militum incommodo quippe qui et itineris difficultate, cum per densissimas sylvas longius eundum, & fame inediaque exhausti cum acinis & aqua saltem plurimi se sustentare debebant: tandem sexta Septembri Chodkevicius Dux cum exercitu suo antiquam venit Pernaviam. Qui illa die duntaxat militem fessum quiescere permittit, sequenti vero  
statim

statim cum tredecim vexillis peditum propugnaculum in antiqua Pernavia ab hostibus extractum, cujus superius mentionem feci, iis qui in arce & civitate obsides erant maxime nocivum, obsidere jubet, qui deditionem differentes, a nostris oppugnantur & expugnantur. Vi igitur obtento propugnaculo, quicumque in illo se tuebantur omnes interficiuntur, qui erant numero trecenti: e nostris cæsi septem, inter quos præcipuus erat Rothæmagister Joan. Przechyszewsky, qui præeundo suis strenue, occiditur; plures viginti saucii. In propugnaculo accepta tormenta quinque grandiora ex iis duo; vexillum vnum.

Expugnato & occupato a nostris propugnaculo jubet dux Chodkevicius pontem extruere per fluvium Luba, qui tranandus erat a Polonis, si cum Mansfeldio confligendum esset: Mansfeldius præsentiscens pontem hunc sibi exitium fore, si diutius commorandum esset, desertis propugnaculis, Pernaviam fluvium trajecit, quo trajecto, cum Dux noster advertisset Mansfeldium discessum meditari, jubet nonnullos ex suis hostem provocare & irritare ad pugnam, qui in illa velitatione sane perpauca erant. Galli equites Mansfeldi, nostrorum paucitatem advertentes, alacriores facti multitudini confidentes nostros adoriuntur: qui illis non resistentes lento gradu impetum eorum sufferentes ad pontem vsque deducunt. Cæteri qui in auxilium velitantibus missi



a duce properantes per pontem, qui cum debili-  
 or erat, & onus tantum sufferre esset impotens,  
 rumpitur & subfidit, sic ii qui ab altera parte a  
 nostris destituti ab hostibus interempti fuissent,  
 nisi pedites nostri crebrioribus ictibus sclopetorum  
 Gallos avertissent, submersus tamen ex nostris v-  
 nus, interficiuntur ex parte adversa, ultra 50.  
 Equites quoque nostri vado reperto fluvium tra-  
 jiciunt, & hostem in fugam convertunt.

Nocte ergo sequenti Mansfeldius sibi tempus  
 ulterius commorandi sub Pernavia non restare ad-  
 vertens, cum nostri vadum reperissent quo acces-  
 sus patebat ad suos, clam civitatem obsidione  
 solvit, & ulterius se proripit 9 die Novembris  
 per duo milliaria per loca invia & paludosa syl-  
 vas succidere curat, viam exercitui suo novam  
 sternens, nostra castra circumire statuit, & ne il-  
 li a nostris (si fugiendum esset) via interclusa ef-  
 fet, Revaliam properare se simulat: exercitum  
 per aliquot milliaria circumducendo ex parte Re-  
 valix castra sua in loco figit munitissimo, milli-  
 ari saltem a nostris castris.

Chodkevicius autem cupidus praelii, mittit a-  
 liquot viros generosos animo, ex suis, qui sub  
 ipsa castra Mansfeldii se conferrent, loci oppor-  
 tunitatem lustrent, qui impingentes in excubias  
 Mansfeldii, Vigiles profugos faciunt, octo equi-  
 tibus ereptis, duobus interfectis hostibus & vno  
 capto. Relatione facta Duci, de loci commo-

ditate, quem hostis occupaverat, & quod propter fluvium difficilis pateret ad illos aditus, adveniens Mansfeldium abjecisse animum, ut confligat, Dux nosster cum exercitu sub Pernavia moratur septimanis duabus. Interim annona & victualia advehuntur Pernavian. Mora hac facta a nostris, interim appulit frater Mansfeldii, qui pro conscribendo milite missus erat in Germaniam cum mille trecentis, is laudis cupidus suadet fratri, ut cum Polonis committat prælium. Verum a Livoniæ Nobilibus, qui tum quoque militabant cum Mansfeldio dissuadetur. Deliberans iccirco Mansfeldius quid facturus, siquidem sub Pernavia nihil effecisset, statuit inito consilio, suis qui Dunamundæ erant in obsidione suppetias ferre: quo intellecto Chodkevicius præveniens Mansfeldium, aliquot diebus ante: castra sua movit 22. Septemb., venit sub Dunamundam 28. Septemb. Subsequitur Mansfeldius cum suo exercitu Chodkevicium 24. Septembris, venit in auxilium suis Dunamundam 6. Octobris.

Octiduo igitur Dux belli Chodkevicius cum exercitu suo quiescit antequam de Mansfeldii adventu quicquam audiebatur. De hostium igitur adventu cum per exploratores Duci innotuisset, quibus Dux parvam adhibens fidem, velites vulgo Cosacos explorandi gratia mittit, qui reversi captivos ducunt, qui rei dubiæ fidem faciunt. Confestim Dux classicum canere jubet, ad arma

se proripiunt Poloni: mox alii exploratores afferunt; hostem non nisi duobus milliaribus a castris distare. Nostri aciebus instructis hosti obviam procedentes eo die nihil efficiunt, quoniam Mansfeldius nihil adhuc attentare ausus. Postera die & Mansfeldius & Chodkevicius vterque cum parato exercitu in apricum campum egrediuntur. Mansfeldius vero cui major erat cura arcis, quam conflictus, nam libenter abstinuisset a conflictu, nisi vrsisset necessitas: plus technis suis & astu fidens quam viribus, callido invento ut ducem nostrum illuderet, usus. Dividens iccirco exercitum suum Mansfeldius in duas partes, alteram mittit ut castra Polonorum invadant, existimando Ducem nostrum, ad defendenda castra properare, interim autem dum circa castra occuparetur Dux, eum posse arcem cum suis irrumperere, sibi persuadebat. Verum Dux Chodkevicius ad omnes conatus hostis intentus, dolum & astum ejus intelligens continuit exercitum suum sub monte, qui Pontificius dicitur, [eo quod olim in eodem monte Episcopus rigensis, qui antequam Ensiseri in Livoniam missi, ducem belli egit, cum Lothavis confligendo, ibi cum suis occubuit, nomen hujus Episcopi, qui ordine secundus immediate Meinardum subsequutus erat Bertholdus Abbas Lucanus ordinis cisterciensium:] Hujus conflictus mentionem fecimus principio libelli, igitur hoc loco satis, Sub hoc inquam

monte, Dux Chodkevicius hostem præstolatur, qui cum cernit hostem partem exercitus sui misisse versus castra Polonorum: subito mittit aliquot Rothas equitum germanorum, qui hostem a castris avertant. Videlicet Gaspari Thisenhauſii, Gualteri Plettenbergii, Equites Piltinenses, qui cum impetum hostium sufferre impotentiores essent: Nam Mansfeldius omnium selectissimos, videlicet septingentos Equites cataphractos eo miserat, in quos spem omnem collocarat, mittuntur in auxilium nostris aliæ Rothæ, vtputa, duorum Germanorum Joannis & Waldimari fratrum Farensbeciorum Equites Curlandiæ Ducis: Verum cum ne hi sufficerent, nam hostium exercitus erat tum ad mille septingentos, [cum reliquo namque Mansfeldius adhuc se continebat, nam si fugam maturare coactus fuisset, vt haberet, qui eum tuerentur. Si vero victore euaderet, Polonos superstites ad internecionem deleret] mittuntur Rothæ Hussarorum octo. Theodori Dabrowa, Thomæ Lacky, Alexandri Holowczynsky, Nicolai Hlebowicz, Joannis Kyszczæ, Andreæ Wolowicz, qui maxima cum difficultate paludem, quæ exercitum Mansfeldii a nostris dividebat, superando perumpentes acriter cum cataphractis equitibus congressi, qui adeo conglobati præterea ferro ipsi & equi eorum vndique tecti, ter repulsam ab hostibus patiuntur: donec tandem arrepto animo hostes quarto aggrediuntur,

& mars cederet æqvitati nostræ palmam, ex acerrimo conflictu non sine clade nostrorum, laude vero suorum perenni reportarent, adeo vt ex cataphractis eqvibus nullus evaserit, quin ad internecionem deleti, omnes ea in planicie vbi confligebant, occubuerint. Quibus deletis Mansfeldius cernens suis machinis parum profecisse, vt etiam sub Pernavia cum reliquo exercitu Revaliam tristis revertitur. Quem nostri infecuti ad Gavam vsque plurimos ex hostibus in fuga trucidant. Perierunt in hoc conflictu præter illos septingentos cataphractos, trecenti adhuc eqvites Germani, ducenti capti, signa militaria duodecim, cum tormentis omnibus hosti erepta sunt. E nostris triginta circiter perierunt, si tamen perire dicuntur, qui tam fortiter dimicando pro patria occubere, septuaginta ferme vulneribus faucii. Interfuit huic prælio Baro quidam a Schwarzstat, qui studio in Livoniam \* venerat, quia multa de crebrioribus præliis Polonorum & Suecorum in Germania inaudierat, & de victoriis tam illustribus Polonorum admiratus, qui parva manu Ducem Sudermaniæ cum suis in fugam agerent, vt saltem modum confligendi Polonorum cum Germanis & exteris contemplaretur:

\* In Marg. Croates Jo. Georgius a Schwarzstat Liber Baro, qui a Comite Mauritio ex Belgia missus ad Carolum Chodkeviz.

•jusque rei aliquando in suis partibus vti oculatus testis, relationem suis facere posset.

Nec illud silentio prætermittendum, quod apud interfectos reperta sit moneta nova quædam Mansfeldii studio cusa, cujus inscriptio germanica phrasi sic sonabat, *oder itzt oder nimmer*: latine sic sonat: *aut nunc aut nunquam*, subauditur vincendum. Certissimum omen, Mansfeldium, si victoriam hac vice non reportaret, vti eventus ipse probavit, animum abjecisse, se abhinc non velle agere belli ducem adversus Polonos, & Ducem Carolum Chodkevicium. Conflictus hic habitus est octava Octobris.

Postridie qui in obsidione erant Dunamundæ, suorum stragem intelligentes, eo quod Mansfeldius suppetias differebat, cum Dux Chodkevicius per tibicinem illis innotescere fecit de cæde suorum fratrum, exhibentes illis pro certo signo vexilla Germanorum duodecim, consternati, quamvis nec dum fidem dantes nostris, rogant, ut concedatur interfectorum cadavera contemplari, quibus visis, relatione facta qui in arce erant, superiores ad deditonem faciendam animum inclinant, certis tamen initis conditionibus. Itaque a Duce Chodkevicio quatuor mittuntur ad præfectum arcis Sternschilt, qui pacta feriant, & Ducis nomine indicat conditiones. Vtpote  
 Joan. Albertus vilnensis Palat.  
 Georgius prædictus Baro a Schwarzstatt, Bartho-

Iomæus Wazinsky & Gaspar Thisenhausen Rotmagister. Rebus itaque stabilitis, Dunamundenses misericordiam a Duce poscentes nostro, die nona Octobris arcem Dunamundam vallo novo & fossis duabus circumseptam iterum dedere coguntur: non tamen ea facilitate, qua Mansfeldius obtinuerat: multa namque sanguinis effusione a nostris recuperata est, quam pretio & pecuniis Mansfeldius emerat.

Exercitus vero polonicus cum anno illo 1609 multa præclara in Livonia præstitisset, nam & Pernaviam recuperaverat Dux, & conflictum hunc sub Dunamundam felicibus auspiciis mascule peregerat: solutio tum illis militibus per annum & dimidium detenta fuit, eo quia rex militem conscribere iusserat in Moschoviam, in quem contributiones & pecuniæ collectæ conferendæ erant, multis perpessis ærumnis & superatis laboribus vndecima Octobris in Lithuaniam ad hyberna se confert, ibique moratur ad solutionem usque: relictis tamen Pernaviæ & aliis in arcibus præsidiis sufficientibus & annona.

Mansfeldius autem exercitum suum per Revaliæ ditiones pro hybernis distribuit: cui pari modo solutio detenta a Carolo Sudermaniæ Duce, nobilibus atque subditis molestus fuit: adeo ut Galli equites aliique exteri spoliantes incolas loci illius etiam supra multa perpetrarunt. Quod indigne ferentes nobiles revalienſes iccirco con-

spirant cum civibus & svecis militibus quorum superior erat Gaspar Matthis, primo ad Mansfeldium mittunt, ut eos tanquam Dux eorum coerceat: Verum hi parum territi minus Mansfeldii, adhuc pejus quam ante sæviunt. Itaque collectis copiis, Gaspar Matthis, cum Gallis & equitibus germanis exteris confligunt, cadunt utrinque plurimi, sic Dei iudicio, qui manus effugerant Polonorum suis mucronibus interimuntur. Mansfeldius vero in Sveciam accersitur a Carolo ut habiti conflictus cum Polonis seriem & rationem referat.

In Marg. Notatu dignum quod hoc autumno, nobilis quædam femina, Butleri uxor in Curlandia ob nimium in vestibus fastum a Dæmone interficitur & opprimitur. Erat autem hæc mulier, Jo. Treideni filia.

Milites exteri qui superstites remanserant, tam Galli quam Germani, videntes se a Carolo deceptos, accito sibi duce Ponto della Gardo, in Moschoviam pergunt, quid vero præstituri, experientur.

Circa Natalitia Christi, Gaspar Matthis, suis qui in propugnaculo Salis relictis, victualia mittere statuens, viginti & aliquot curribus oneratis, expedit cum comœatu versus Salis, adhibendo pedites sexaginta, de quibus Swizinsky certior factus, qui tum capitaneum egit Pernaviæ, mittit ex suis totidem, ut hostibus viam intercludant & comœatum eripiant, quod nostris cessit



feliciter. Nam et cæsis Svecis et ablatis curribus cum spoliis revertuntur Pernaviam.

Anno 1610 celebrantur comitia Regni, in quibus sub finem comitiorum in secretis Rex cum proceribus regni consulit: Vtrum nostris veniendum in auxilium, qui in Moschovia per annos aliquot post mortem Demetrii militabant. Et Moschovia ipsa principe suo destituta legitimo, subigenda, regnoque polono associanda. Nec hoc discordiarum tempore quo Moschovia bellis æstualet, ad Turcam vel ad alium Monarcham potentiolem devolveretur: a quo deinceps Polonis periculum immineret, præsertim cum Moschoviæ fines latissimi & Ducatus hic amplissimus, ducis sit opus, gens vero ipsa barbara crudelis populosa.

Vbi igitur conclusum fuisset, in hoc ancipiti rerum Dominio aptissimam fore occasionem, si quidem Moschi inter se discordes de principe suo, alii Suyscio alii Demetrio ficto adhærentes, ut rex Moschoviam suo adjiciat imperio, quæ ante formidabilis erat circumjacentibus Dominiis. Itaque Rex exercitum colligens sat instructum, mense Junio tendit ipse sub Smolensk, cingit eam obsidione: sub qua, anno integro commoratus, tandem Dei beneficio, atque suorum ducum auspiciis armata manu occupat & expugnat. Plura de hac obsidione & celebri reportata victoria: hoc loco inferere, non visum est, mei esse

instituti. Cum propositum sit meum ea duntaxat persequi, quæ in Livonia gesta feruntur. Spero non defuturos, qui hanc obsidionem & recuperationem difficillimam fusius tradituri.

Anno vero 1610 Carolus Sudermaniæ princeps tandem aliquando post crebriores ictus cautior factus uti piscator sero sapere incipiens, ictu pertæsus jam belli cum vires defecerint, & ærarium sit expilatum, mittit ad regem Sigismundum sub Smolensk duodecim annorum poscens inducias, [quæ utinam ratæ sint, res enim cum perfidis est, uti experti sumus.] Rex saltem, quod bellum adversus Moschos inchoarat, ad septennium usque annuit. Itaque in Livonia per hyemem pacata sunt omnia.

Vere autem ingruente circa finem mensis Aprilis naves pyratice aliquot missæ a Carolo sub Rigam ut mercatorum naves expugnarent & spoliarent, quæ cum mercibus Rigam navigabant. Quibus spoliatis Pyratæ in Curlandiæ Ducis ditiones irruptionem facientes, ad trecenta armenta secum abigunt: magna nobilibus & subditis loci illius damna intulerunt. Sic qui ex præda se sustentat, etiam cum pacem petat, a spoliis non abstinet: largæ namque ligulæ ex alieno scinduntur corio.

Mense vero Majo nautæ qui ex Oceano in balthicum mare navigare statuerant ad emporia Livoniæ, cum inaudissent, naves aliquot quæ illos

præcesserant a Pyratibus svecicis, quorum superior erat Sternschilt, qui capitaneatum egerat Dunamundæ, spoliatas, supplicantes regem Daniæ, ut, siquidem vectigalia illi quotannis penderent, & non esset illis tamen tutum propter pyratas, navigare ad emporia quo vellent, eas curaret cum suis navibus tute Rigam deducere & reducere. Justis autem rex Daniæ annuens nautarum petitis, octodecim naves majores cum tormentis alioque apparatu bellico, in navalibus præliis usitato instruere & adornare mandat, quas una cum mercatorum navibus mittit ad ostia Dunæ, quas cum Pyratæ Caroli advertissent, subolefacientes periculum sibi imminere, ab armis & pugna abstinent. Epibates vero navium regis Daniæ quem Amiralum vocare siveverunt nautæ, mittit ad pyratam primarium Sternschilt, ut illico cedat ex oris illis, & naves ultro mercatorias nullas infestare præsumeret, alias, si non obtemperaret, se in mandatis habere ut vel cum illis decertet, vel captas ducat ad regiam Kopenhagen. Sternschilt svecicus Amiral videns se imbecilliorē esse quam ut illas devincat, nolens volensque vela committere ventis cogitur, & pergit in Sveciam. Sic illa æstate Mare balthicum a pyratibus qui per decennium & ultra magnam singulis annis prædam Carolo afferebant, ex qua bellum cum Polonis inchoatum continuabat, purgatum, liberum nautis navigium præbuit.

Mense Junio superior pernaviensis Swizinsky, bis suos milites expedit, ut excursions faciant in districtum revaliensem sub Lode & Habfal, qui ablato pecorum & armentorum non parvo numero, redeunt Pernaviam: tempore induciarum cum nobiles ipsius loci sperarent se tutiores esse a nostris. Verum nobiles Habfalenses & Lodenfes mittunt ad nostros cum literis rogantes, ut saltem equos, quos abegerant restituerent, de pecoribus non esset conquerendum, siquidem forsitan inedia impulsus nostri victualia quærere tenebantur. Verum Pernavienses spretis petitis nobilium, nunciū cum risu expediunt. Nobiles vero Habfalenses & Lodenfes congregata non parva manu, clam sub Pernaviam excursions facere student, & talionem reddere nostris moliantur. Nostri qui in arce & civitate tutiores: Equos suos in pascuis non longe a civitate pascentes. Itaque insciis nostris Germani sub mœnibus octuaginta equos Polonorum Equitum celerrime capiunt & abigunt: renunciantes Pernaviensibus ne vitio vertant, nam qua mensura illi mensi fuissent: illis quoque remensum esset.

Fertur & illud pro vero, quamvis videtur ridiculum: quod a certis hominibus relatum habeo, quod inter collapsa rudera arcis felinensis: Dæmon singulis noctibus mœnia circumeundo excubias peragat: & vigilum more clamet & vociferet: neque mirum nam cum omnia devastata

sint & diruta ita ut ab hominibus inhabitari nec arx nec civitas possit, aptum sua mansione habitaculum Dæmon ceperit, & quod diu hominum vigilia tuebatur ab incurfibus hostium, nunc illius vigiliis custodiatur, ne homines ibi forsitan amplius habitandi locum commodum inveniant.

Ipsis Kalendis Julii Wilnæ in Lithuaniae Metropoli tanta conflagratio excitata, ut civitatis pars quarta vix remanserit, adeo deplorandum hujus civitatis excidium fuit, ut non modo lapideæ & Magnatorum aulæ, quarum ad 5000: Verum ipsa regia & arx cum templo cathedrali parochiali & aliis cœnobiis aliquot igne consumpta. Illud autem in hac conflagratione memoratu & admiratione dignum accidit: quod facellum D. Casimiri adjunctum templo cathedrali illæsum remanserit, cum tamen adeo fuit vehemens incendium, ut parietes & fornices nimia flamma debilitati ad fundamenta usque corruerint. Hujus conflagrationis narratio, etsi non spectat ad historiam hujus feriem, tamen, quia unde hoc incendium excitatum sit ignoratur, & quia plerique sentiunt per proditores Svecos & Moschos id factum, iccirco hujus rei mentionem facere hoc loco, non duxi supervacaneum.

Mense Octobri hujus anni 1610 Equites nostri qui Pernaviæ præsidia civitatis a duce Chodkevicio relictæ erant, secundo propter annonæ & victualium penuriam in fines Revaliæ irruptionem

nanciscendæ prædæ causa facere coguntur, qui insciis ejus loci nobilibus, eo venientes, non parvum illis intulerunt damnum, quippe cum ad ducenta ferme armenta inde secum abigerunt. Redeuntes itaque cum larga præda, superior arcis Swizinsky ab equitibus contendit, ut peditibus ex sua præda qui pari modo inedia premebantur aliquid impertirentur, recusantes equites eo quia pedites non cum illis unâ periculum subire. Constituit Swizinsky pedites suos quoque cum 20 Equitibus mittere prædatum. Sveci vero audientes de incurfione nostrorum, facta sub Lode & in finibus Revaliæ, atque de damno a nostris illato, certiores facti, constituerunt talionem reddere nostris. Clam igitur expediunt quinque vexilla equitum peditumque promiscue in ditiones Lothaviæ, quæ sub Burtnik, Lemsal, Sigwolt & alibi subditos pauperes deprædabantur. Nostri qui Pernavia missi erant, pro acquirenda præda inscii de Svecis, qui jam revertebantur cum præda, incidunt insperate in Svecos, dimicant cum illis. Verum alia adhuc vexilla tertia Svecorum a tergo adoritur nostros, cum jam effugii locus ob multitudinem hostium, non conceditur, non pauci a nostris, tum ea in pugna occubere. Vti ferunt circiter 50. alii uti poterant fugâ sibi vitam consulere. Inter quos duo Equites egregii ex Rotha illustrissimi Palatini Vilenensis perierunt.



Mense Novemb: Dominus Lissowsky unus ex Toparchis qui in Moschovia non cum parva militum manu adversus Moschos militabat, collecto milite, 8000 Svecos, qui Plefcoviam obsederant, veniens Plefcoviensibus in auxilium, a mœnibus repulit, quorum Campiductor erat Pontus della Garda. [ Qui intra suos jam hærentes ] cum Lissowsky cum suo exercitu sub Narvia Moscovitica castra metasset. Narvia germanica (Iwangorod) quæ e regione, fluvio mediante, sita est, vim verita Lissowsky, supplicat Pontum dell Garda Campiductorem Caroli Sudermaniæ Ducis, ut hostes ab illorum cervicibus removeret. Quapropter Pontus collectis undique viribus, nolens volensque conflictum parat adversus Lissowsky. Commisso prælio utrinque decertatum masculè, non paucis cæsis ex utraque parte. Obtenta tamen victoria a Lissowsky. Hic conflictus causa fuit, ut sœviticus exercitus se contineret intra fines suos, alias forsitan, nisi Lissowsky illis obstitisset Livoniam invasissent, & deprædati fuissent. Sic hoc anno rex ab afflictis Livoniæ incolis hostes avertere dignatus est. Hoc tempore Narvia germanica igne conflagrata magnum civitati excidium attulit.

Anno 1611 initis induciis cum Sudermaniæ Principe, ut supra retulimus, Livonia de novo ex alia parte periclitatur. Nam Moschi videntes suas

suas ditones depopulari a Polonis, Livoniæ quia  
 finitima est Moschoviæ ex vna parte, cladem in-  
 ferre minantur. Inde forsitan audentiores facti,  
 quod regem Sigismundum jam per semestrem sub  
 Smolensk commoratum fuisse, & adhuc parum  
 effecisse intelligerent. Fidentes suos mascule se  
 defensuros, vt rex infecta re discedere a Smo-  
 lensk cogeretur. Vlciscendo igitur injuriam &  
 damna resarciendo sua, Livoniam invadere mo-  
 liuntur. Quod animadvertens Dux belli Chod-  
 kevicus, colligens militem mille quingentorum  
 primoin finibus Livoniæ & Moschoviæ cum suis  
 se collocat. Moschi irruptiones facere jam ti-  
 mentes in Livoniam, intra suos, se fines contine-  
 re coguntur. Dux vero ne frustra collegisse vi-  
 deretur exercitum, ac ne ociaretur: vt regi qui  
 sub Smolinsky morabatur, qualecunque præsta-  
 ret obsequium, si ab altera parte Moschos infe-  
 staret: parat Piecurum [*Petschur*] oppugnare.  
 Vbi cænobium Divæ Virginis fundatum est Rhu-  
 tenorum. Dicitur autem est, hoc monasterium  
 Piecuri a criptis subterraneis, in quibus olim cum  
 Moschovia adhuc Atheismo laboraret, viri reli-  
 giosi qui eam ad Christi cognitionem perducere  
 conati sunt in persecutionibus delitescerent. Tan-  
 dem studio inhabitare a monachis cœpta sunt,  
 adeo vt tanta fuerit religiosorum frequentia in  
 speluncis istis, vt Duces Moschoviæ ibi fun-  
 darint Monasterium Deiparæ Virginis, quam illi

[ пречисная ] *præcistaja*, id est, intemera-  
tam vocant. Hoc cœnobium cum opportuni-  
tate loci sit munitissimum, vt vix expugnari  
posse creditur. Dux per insidias eum primo  
obtinere contendit sine militum iactura. Petar-  
dam instrumentum bellicum, qua portæ facile  
effringuntur etiam robustissimæ & firmissimæ, in-  
struere curat. Clam intempesta nocte eam por-  
tis civitatis applicare jubet, per Gallos milites  
qui instructores erant hujus machinæ. Qua ad  
portas applicata, cum vi tormenti hujus portæ  
effractæ fuissent, Velites nostri confestim irru-  
ptionem faciunt in civitatem, insciis Moschis:  
quibus cum non ventum erat cito in auxilium ab  
equitibus nostris, cum advertissent Moschi dolum,  
facile ex civitate exturbantur. Itaque sic infecta  
re Dux discedere cum suo milite cogitur. Fa-  
ctum id ante festum Paschæ.

In Majo secundo contendit Dux, idem mo-  
nasterium jam vi expugnare. Cingit illud obfi-  
dione, tormenta advehuntur bellica Rigâ & Dor-  
pato, cum jam magna pars mœniorum crebris  
tormentorum ictibus demolita fuisset, jubet bis  
vi incurSIONEM facere ad civitatem. Quo tempo-  
re cum nostri impetum facere contendunt ad mœ-  
nia civitatis, religiosi omnes ex monasterio in  
civitatem cum processione & sacra effigie Deipa-  
ræ Virginis, quæ apud illos magno in honore

habetur, timentes omnes proni in terram corruunt opem Deiparæ Virginis implorando vt habitaculum suum ab hostibus illæsum conseruet. [Vbiqve curat.] Vulgus vero cæterum, mœnia & loca quibus nostri civitatem adoriuntur, tueri & defendere jubent. Cæsis itaqve plurimis ex nostro exercitu, præsertim Gallis equitibus & pedibus Polonis, cum nihil efficere possent nostri, Dux a mœnibus recedere & obsidionem solvere cogitur.

Erat et id adjumento Livoniæ, quoties ab hostium incursionibus quietior esset, quod dum ista sub Pecuri aguntur, et rex sub Smolensk cum exercitu moratur, Rex Daniæ ob injurias sibi a Carolo Sudermaniæ Principe illatas, eidem bellum indicat. Parat iccirco naves adversus Carolum, committit primo cum Carolinis navali prælio, in quo dum exercitus Daniæ superatus: alium conscribens exercitum, Rex Daniæ pergit in Sveciam, primo Kalmar arcem a finibus Daniæ munitissimam obsidet, et expugnat. Deinde pergit sub Regiam Stockholm, quam cum obsidione cinxisset Carolus pacis condiciones nolens volensqve incundo, bellum & controversiam dirimit, at nescio si cum damno an emolumento suo.

Sopitis igitur discordiis Carolus vrget, cum jam sentiret se, adversa valetudine debilitari, vt

proceres Regni Sveciæ, filium ejus majorem regem Sveciæ inaugurare vellent, quod negotium cum ob multa quæ hac in re consideranda fuerunt, dilationem requirit. Carolus tot malis perpetratis viam quoque vniversæ carnis ingreditur.

Parta igitur & recuperata Smolensk a rege Sigismundo III, non sine immortalis gloriæ fama, (nam antea Smolensk cum Ducatu severiensi magno Ducatui Lithuanicæ subiecta erat,) Rex Carolum Chodkevicium belli Ducem, post obitum fortissimi herois Domini Joannis Petri Sapihæ, qui multa præclara perpetuaque memoria digna in Moschovia præstitit, cum suo milite in Moschoviam ablegat, committendo illi ut absente rege Moschoviæ rebus præesset, & dissidias, quæ non raro in tali statu, uti nunc Moschovia constituta est suboriri solent, sedaret: Et regis adventum ibi cum exercitu copiosiori præstolaretur.

Circa finem hujus anni 1611 Pleskovienfes Moschi & reliqui in finibus Moschoviæ & Livoniæ degentes, propter irruptionem quorundam a nostris factam in Moschoviam, nanciscendæ prædæ gratia (cujus factionis autores fuerunt Borzimowsky Rothmagister & Ralsfa, quidam Lithuanus) talionem reddentes, non parva manu Livoniam invadunt, aliquot districtus vastant &

depopulantur, videlicet novogrodenſem, Layſenſem, Kirrempeenſem &c. magnam ex Livonia in Moſchoviam *prædam* abigunt. Captis nonnullis nobilibus Polonis cum vxoribus & liberis inter quos vir bonus Rogozinsky vir militaris cum ſuis omnibus in Moſchoviam abductus. Ita vnus alteri- uſve avaritia, cauſa extitit plurimorum exitii.

Cum igitur Carolum Sudermanium dixerimus diem ſuum obiſſe, qui per annos 12 bella ciebat in Livonia, alterum vero Carolum Chodkevicium Ducem belli in Livonia ſereniſſimi regis Sigismundi III in Moſchoviam ablegatum. Neceſſe erat vt bellum quoque tam diuturnum & pernicioſum aliquando dirimeretur. Et qui ad pacem ineundam induci non poterat, vnus hic mortis ſpiculo tactus, finem belli facere & ab armis abſtinere cogitur. Virulentus ſane animus & rabioſus, qui etiam cum impar ſit, & crebris claudibus devictus, fermeque deletus, ſubmittere ſe & pacem quærere reuſat. Juſto igitur Dei iudicio prius e vita cedere compellitur, qui prius anſam belli dederat. Quia vero Carolo Chodkevicio huius belli livonici cum magna nominis ſui fama ac laude perenni, finem facere a Superis immortalibus conſeſſum eſſet: is quoque mire optime huius hiftoriæ noſtræ Colophonem imponat. Deo immortalis habendæ ſunt gratiæ, qui tam protervis atque ſuperbis hoſtibus gentis

---

polonæ, ex eadem quoque æmulos tales & belli  
duces huic regno largitus, qui efferos hostium a-  
nimos domare, & vires arcesque copiosas in qui-  
bus confidunt Dei præpotentis & beatissimæ  
Virginis auxiliis, fundere & superare expeditif-  
sime norint. Cui pro vniversis beneficiis & collatis  
victoriis genti nostræ, sit honor & laus per im-  
mensa secula. AMEN

---

## APPENDIX.

*Hermann v. Brevern tradit in kurze Anzeige derer Scribenten, aus welchen die Historie von Liefland nach Möglichkeit zusammen gefaßt werden könnte, liber manu scriptus. P. 4*

*Livonica Historiæ compendiosa series, Auctore Dionysio Fabricio conscripta.* Wer dieser Fabricius gewesen, ist mir nicht kund, soviel erhellet aus seiner Schreibart, daß er ein Liefländer römischer Religion gewesen seyn mag. Anfangs muthmasete ich ob er nicht ein Sohn des Dionysii Fabri aus Pommern gewesen seyn möchte, welcher zu Herr Meisters Plettenberg Zeiten der Lief. Ritterschaft Syndicus, und ein in den Rechten erfahrener Mann gewesen, inmaßen dessen so genandtes Liefländisches Ritter-Recht, oder viel mehr die damahlige Form der gerichtlichen Processen in Liefland in einigen Büchern in 4to. gedruckt vorhanden, und denen rechten Liefländischen Ritter-Rechten beygefügt ist. Allein nachdem Fabricius dessen, in Erzählung dessen, so sich unter Plettenberg zugetragen, umbständlich erwehnet, ohne Beyfügung, daß er demselben mit einiger Verwandtschaft zugethan, welches er ob merita dieses Mannes und seinen daraus ihme zuwachsenden Ruhm nicht wohl würde unterlassen haben, als bin auf andere Gedanken gerathen. Uebrigens hat er in seiner Historie eines guten Lateins sich gebraucht, und in der Präfation seine Intention

mit mehrern dargethan. Zugleich anführend, wie schwer es sey, eine vollständige Historie von Pommern aus Mangel der verstörten erzbischöflichen Bibliothek zu Kottenbusen abzufassen.

Adhuc quædam Dionysium Fabricium spectantia, ex Epistola Viri sapius laudati atque doctissimi J. C. Brotze, quæ ut pace Viri eruditissimi quem veneror, in celebritate versentur, oro.

Im J. 1784 schrieb ich an Gadebusch wegen des Dion. Fabri, und äußerte mich, daß ich Pomeranum für seinen rechten Vaterlands Namen hielt; weil ich in meiner Abschrift das Wort Pomeranus über dem Titel neben dem Namen beygesetzt fände. Gadebusch antwortete also:

” Dion. Fabri der die compendiosam seriem Historiæ Livoniæ geschrieben hat, ist von dem Ordens Syndico ganz verschieden. Hier sind meine Gründe 1. geht die Series bis 1610 wie Arndt bezeugt 2. der Ordens Syndicus mag höchstens bis 1550 gelebt haben; denn 1504 that er schon die Reise nach dem gelobten Lande. 3. Der Mann der in Ihrem Exemplare beygeschrieben Dion. Fabri Pomeranus, hat vielleicht keinen andern gekannt, und den Ordens Syndicus nicht recht gekannt; es ist höchst wahrscheinlich, daß dieser ein Evangelischer gewesen ist. 4. Der Geschichtschreiber Dionysius Fabricius war Probst zu Belin, und kommt in unserm Rathesprotokolle 1604 S. 14. und 17. vor. ”